



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Providentia Divina, Prædestinatione & Reprobatione.

Item de Fide Divina, ejus veritate, obscuritate & credibilitate

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Sectio III. De Prædestinatione secundùm se.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73708)

verba repetit l. 1. retract. c. 9. & l. de gestis Pe-
lagii c. 18. ut probet oblivionem & ignoran-
tiam subiacere peccato, adducit: Cum David di-
xit delicta juventutis meae &c. & cum in lege sa-
crificia pro ignorantia sicut pro peccato offerantur. In
lege autem, secundum Aug. supra, pro negli-
gentiae peccatis offerebantur. Nec est verosimi-
le Davidem in ætate virili, in qua hunc Psal.
deceatavit, ignorantiam invincibili juris natura-
lis aut legis Mosaicæ laborasse.

Adde ipsos Pelagianos tandem admisisse ig-
norantiam, pro qua in lege sacrificia offere-
bantur esse vincibilem & ex negligentia: sed
retinendo caput doctrinæ suæ, dicebant eam si-
ne divinæ gratiæ subsidio vinci posse. Unde S.
Aug. eorum sententiam exponit dicens: Dum
tam omnia potius disputet, quam ut oret & dicat:
da mihi intellectum &c. Vide supra n. 252. & no-
ta, quoties S. Aug. similia verba Pelagianorum
recitat, toties ab iis admitti postulat, ut taceant
ignorantiam in peccati penam infligi, &
luce divinæ gratiæ purgari. Ex his omnibus
concludamus, quidquid ex ignorantia perpe-
ram committitur, tunc tantum culpæ tribui,
cum ipsa ignorantia peccaminosa est: tunc au-

tem ignorantia peccaminosa est, cum præcessit
negligentia, aut aliud aliquid à nobis commis-
sum, à quo uti & voluntarii, ira & culpæ ra-
tionem trahat, sic ut formalis ratio voluntarii
& peccati primario & per se negligentia com-
petat, aut illi alteri. Tum negligentia in igno-
rantiam, ac postremò in illud, quod ex igno-
rantia fit vel omittitur, derivatur.

Et hæcenus quidem de gratia sufficienti &
possibilitate mandatorum satis, ut arbitror, pro-
ratione nostri instituti, quod non est tractare
de materia auxiliorum gratiæ, seu eorum con-
cordia cum libero arbitrio, id enim ex iustissi-
mis causis ab Ecclesia prohibitum novimus, sed
illa tantum examinare, quæ contra hæreticos
inter DD. Catholicos in Scholis, atque etiam
libris editis, hucusque citra offensam aut con-
tradictionem disputari consueverunt, inter quæ
merito censetur possibilitas observandi manda-
ta Dei: uti etiam prædestinatio, & reprobatio,
de quibus in reliqua parte hujus Operis sermo
nobis erit; ac primò quidem de prædestinatio-
ne, id est, de providentia divina circa creatur-
am rationalem efficaciter destinandam in fi-
nem supernaturalem. Erit ergo

261.

SECTIO TERTIA

DE PRÆDESTINATIONE SECUNDUM SE.

Acturus de prædestinatione, in-
gredior mare magnum, & spatio-
rum manibus, ubi reptilia, quo-
rum non est numerus, difficulta-
tes, inquam, permaximæ, huma-
no intellectui inexplicabiles, idque sine nu-
mero, de quibus jure meritissimo exclamavit
Apostolus Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum
sapientiæ & scientiæ Dei, quam incomprehensibilia
sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus! Quis
enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius
ejus fuit? Ut proinde satis alicui videri posset,
in captivitate redigere omnem intellectum
suum in obsequium Christi, quam velle navi-
gare hoc mare tam periculosum, id est, velle
persecrari ea, quæ Deus voluit esse imper-
secrabilia, ne undis obruti, & ad scopulos elisi
in abyssum demergamur, hoc est, à recto tra-
mite fidei deviemus. Unde minimo minus ab-
fuit, quin calamum abjicerem, exceptoque labo-
re desisterem, ac verè dicerem, libentiùs disco,
quam dico, ne audeam docere, quod nescio.
Quia tamen scriptum scio: Sapientia (divina)
aperuit os matorum, & linguas infantium fecit di-
stintas, Sap. 10. v. 21. & considerans, quod ait
Apost. ad Philip. 1. v. 6. *Confidens hoc ipsum,
quia, qui cepit in vobis opus bonum, perficiet usque
in diem Christi Jesu, calamum relumpsi ferè ab-
jectum, nec dimittam eum, confidens hoc ip-
sum, quia, qui cepit in me opus bonum, perficiet
in laudem gloriæ gratiæ suæ, non in lau-**

dem meritorum meorum, quæ multa sunt, sed
mala.

Quid ergo? docebo quod nescio? Nequa-
quam: quippe scio hoc esse verum, quod fides
vera, antiqua, Catholica, quæ creditur & asseri-
tur prædestinatio Sanctorum, non esse convi-
cerit falsum. Porro hoc, & non aliud, intendo
docere; præsentem quidem Sectionem, quid sit
prædestinatio Sanctorum; subsequenter autem
tem, quosnam prædestinatio habeat effectus, &
quam causam. Dico igitur Primò:

CONCLUSIO I.

Prædestinatio Sanctorum nihil ali-
ud est, quam præscientia &
præparatio beneficiorum Dei,
quibus certissimè liberantur
quicumque liberantur.

Usque adhuc disputavimus de Providentia
Dei, partim in communi, partim illà,
quæ Deus omnes creaturas rationales sufficien-
ter dirigit in vitam æternam; nunc incipimus
tractare de ea, quæ aliquas rationales creaturas
efficaciter in eum finem destinavit, & vocari
solet prædestinatio, idque aptissimè, prout no-
tat Smiling. de Deo uno tr. 3. disp. 6. q. 5. in
principio: nam (inquit) præpositio Præ, æter-

2.

Hoc de ea
verè asseri-
tur, quod
fides Catho-
lica non co-
vincit esse
falsum.

3.

L 3

nita

Etymologia
nominis
Prædestina-
tio.

4.
Optimè
quadrat in
providentiâ
supernatu-
ralem, quâ
aliqui effi-
caciter diri-
guntur in
vitam æter-
nam.
D. Tho.
Smiling.

5.
Quid sit
prædestina-
tio.

Rectè di-
cuntur im-
pii prædesti-
nati ad
mortem.
Concil.
Valenti-
num.

nitatem significat hujus providentiæ circa electos, ejusque antecessorem ad tempus, quo ipsa mandatur executioni: Destinatio autem propositum significat transmittendi, adeoque transmissionem in proposito, seu transmissio- nem mentalem (ut ita loquar) nec non designationem aliquorum ad vitam æternam: hæc siquidem omnia apud Latinos Scriptores destinationis vocabulum significat, nimirum animo proponere, transmittere, designare.

Et ut prædestinatio est idem, quod antecessens transmissio, optimè hoc prædestinationis nomen quadrare in dictam providentiam supernaturalem, notat D. Tho. 1. p. q. 23. a. 1. in Corp. dicens: ad illud, ad quod non potest aliquid virtute sua natura pervenire, oportet quod ab alio transmittatur, sicut sagitta à sagittante mittitur in signum. Non potest autem (sublimit Theod.) suâ virtute pervenire ad finem supernaturalem, nisi à Deo supra naturæ debitum ad hunc finem sublevetur ac provehatur; & ided providentia Dei circa ipsum, quâ hoc ei præstat, rectè prædestinatio quasi transmissio nominatur. Quia etiam non omnes, sed quædam rationales creaturæ per hanc providentiam transmittuntur, & designatio propriè est unius vel aliquorum è pluribus signatio atque selectio; hinc etiam prædestinationis nomen, prout antecedentem designationem significat, merito illi providentiæ accommodatur. Demum; quia providentia non potest esse efficax circa electos, nisi ratione absoluti & efficacis propositi Dei, qui omnia operatur secundum consilium voluntatis suæ, sit, ut providentia illa rectè etiam sibi vendicat appellationem prædestinationis. Hucusque Smil.

Breviter dico: Prædestinatio in genere nihil aliud est, quàm æterna ordinatio, seu destinatio, constitutio, designatio, definitio, &c. Ita ut ly, *Præ*, non significet antecessorem dignitatis, vel antecessorem ad merita, ut quidam vult; sed solam antecessorem durationis seu æternitatis ad nostrum tempus, ut communiter docent Theologi.

Et quoniam aliquis potest ordinari, seu destinari & transmitti non tantum ad gloriam, sed etiam ad poenam; hinc Patres Concilii Valentiniani sub Lothario Imperatore cap. 3. Fidenter (inquiunt) fatemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem. Idque juxta auctoritatem Apostolicam, quæ dicit: An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? Rom. 9. v. 21. Vbi (inquit d. Concil.) & statim subjungit: Quod si volens Deus ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata sive preparata (Vulgata editio legit: *Apta*) in interitum, ut ostenderet divitiis gratia sua in vasa misericordiae, quæ preparavit in gloriam. Ex quibus verbis concludit Concilium: Fidenter fatemur, &c. ut sup.

Utriusque hujus prædestinationis etiam D. Aug. meminit lib. 15. de Civit. c. 1. ibi: Quas

etiam mysticè appellamus civitates duas, hoc est, duas Societates hominum, quarum est una, quæ prædestinata est in æternum regnare cum Deo: altera autem num supplicium subire cum diabolo. Item Ezech. c. 100. ibi: Bene utens & malus tamquam summus bonus ad eorum damnationem, quos justè prædestinavit ad poenam, & ad eorum salutem, quos benignè prædestinavit ad gratiam. Similia habet alii locis, quæ nimis prolixum esset hic omnia describere. Neque contrariatur S. Prosper quando ad Object. 14. Gall. ait: Prædestinatio Dei semper in bono est. Nam continuo adjungit: Ad ad retributionem justitiæ, aut ad donationem penitus gratiæ. Ac si dicat (inquit Smil. sup. n. 20), hæc prædestinationis finem semper bonum esse, videlicet ostensionem justitiæ aut misericordie divinæ, licet terminus, ad quem quis prædestinatur, non semper sit bonum, sed aliquando malum poenæ.

Dicitur: *Malum poenæ*; quippe malum culpæ, quod simpliciter malum appellatur, nunquam esse potest terminus prædestinationis, teste Concil. Araus. sup. dicente: Aliquis ad malum divinâ potestate prædestinatus esse, non solum non credimus; sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Hinc Concil. Tridentinum Sess. Can. 17. Si quis justificationis gratiam non nisi ex prædestinatis ad vitam contingere dixerit: reliqui verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divinâ potestate prædestinatos ad malum (scilicet culpæ) anathema sit. Nam, ut alibi diximus, & adhuc infra dicetur, Deus nequit esse auctor peccati, seu malæ culpæ, adeoque nec prædestinator.

Cæterum, ut bene advertit Theod. sup. cit. prædestinationis ad interitum suppliciumque interdum sancti Scriptores meminerint; nunquam tamen simpliciter, sed cum addito, ad interitum, prædestinationem vocant. Quamvis etiam Damas. quamdam appeller lib. contra Manichæos prædestinationem antecedentem. Alii communiter solam consequentem voluntatem ad prædestinationem pertinere ajunt. Atque ita nunc loquimur cum scholasticis Doctoribus de ea prædestinatione, quæ sit providentia consequens & efficax circa salutem quarundam rationalium creaturarum. Ita Smil. Et nos enim illo, infra acturi de prædestinatione, quæ sit providentia consequens & efficax circa damnationem quarundam rationalium creaturarum, quæ solet uno vocabulo appellari à scholasticis Doctoribus reprobato.

Supposita igitur hac explicatione nominis prædestinationis, nec non concessio, quod tali nomine significata detur (de quo nemo Catholicus dubitat, eum sit fidei ex diversis Scripturis, quæ paulatim in sequentibus addicemus) superest hic tractandum, quid sit illa res. Conclusio eam describit, quod sit: Præscientia & preparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Hæc descriptio desumpta est ex D. Aug. lib. de Dono s. persever. cap. 14. ubi sic interrogat: An quisquam

dicere audebit, Deum non præfuisse, quibus esset daturus, ut crederent? Aut quos daturus esset filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præfuisse, præfuisse beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præfuisse. Hac prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quam præscientia & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur. Ubi Augustinus enumerat ea, quæ & formaliter constituunt prædestinationem, & eam consequuntur.

Rogas: quod sit formale constitutum? Respondet: præparatio beneficiorum, in qua tanquam radice fundatur illa præscientia, ut idem sit: Præscientia & præparatio, atque præscientia in præparatione fundata. Neque enim August. intellexit (ut Aliqui putant) scientiam simplicis intelligentiæ, quæ præcedit prædestinationem, aut scientiam conditionatam seu mediam: nam (inquit Smis. sup. n. 261.) præscientia dicitur scientiam, ab æterno antecedentem præscientiam temporalem eventum; scientia autem simplicis intelligentiæ, & conditionata abstrahunt ab hac antecedente; quia multa dicuntur simplicis intelligentiæ, vel conditionatè scita, quæ nunquam sequuntur in tempore. Undè huc optimè accommodari potest illud S. Prosp. in Epist. ad S. Aug. ante lib. Aug. de Prædest. SS. Novo abfurditatis genere, & non agenda præscita consingunt (Semipelagian) & præscita non acta. Ita Theod.

Ut ut sit de illa accommodatione, ipse S. Aug. d. cap. explicat se loqui de scientia, quæ terminatur ad beneficia Dei, ut actum & absolute conserenda electis, quæ est scientia visionis, ibi: An quisquam &c. Vide sup. Et cap. 10. lib. de Prædest. SS. ait: Prædestinatio . . . sine præscientia non potest esse, potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præfuisse, quæ fuerat ipse facturum. Unde dictum est (Ila. 41. juxta 70.) Fecit quæ futura sunt. Præscire autem potens est, etiam quia ipse non facit, sicut quæcumque peccata. Ergo secundum Aug. præscientia, quæ ponitur in descriptione prædestinationis, scientia est visionis, & non simplicis intelligentiæ.

Nec obstat (inquit Theod. sup. n. 262.) quod d. cap. 14. lib. de Dono persever. præscientiam anteponat decreto voluntatis; non enim id facit, quia loquatur de scientia antecedente decreto; sed ut explicet contra Pelagium, & ejus reliquias, quæ præscientiâ Deus præsciat nostra bona opera; & dicit Deum ea præscire, quia ipse in nobis facturum est illa; & quia nobis illa præparavit, & voluit, ut illa habeamus; non autem præscire, quia illa simus habituri ex nobis, ut hæretici illi asserabant. Hic enim & non alius erat scopus Aug. ut patet ex toto contextu cap. quod sic incipit: Item quod dixi: Salutem regionis hujus nulli unquam defuisse, qui dignus fuerit, & dignum non fuisse, cui defuit, si discutatur & queratur, unde quisque sit dignus, non defuit, qui dicit voluntate humanâ: nos autem dicimus gratiæ vel prædestinationis divinâ. Inter gratiam porro, & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio; gratia verò jam ipsa do-

natio. Quod itaque ait Apostolus (Ephes. 2. v. 9. & 10.) Non ex operibus, ne forte quis extollatur; ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis: gratia est. Quod autem sequitur: Quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus, prædestinatio est, quæ sine præscientia &c. ut supra.

Et post pauca: Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratia est, ut dixi, præparatio; gratia verò est ipsius prædestinationis effectus. Quando ergo promissit Deus Abraha in semine ejus fidem Gentium, dicens (Gen. 17. v. 5.) Patrem multarum Gentium posui te: Unde dicit Apostolus (Rom. 4. v. 16.) Idèd ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non de nostra voluntatis potestate; sed de sua prædestinatione promissit. Promissit enim, quod ipse facturum fuerat, non quod homines (scilicet propriis viribus) quia etsi faciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit (suâ gratiâ efficaci) ut illi faciant, quæ præcepit; non illi faciunt, ut ipse faciat, quod promissit: alioquin ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum potestate est: & quod à Domino promissum est, ab ipsis redditur Abraha. Non autem sic credidit Abraham: Sed credidit, dans gloriam Deo: quoniam quæ promissit, potens est & facere; non ait prædicere, non ait præscire: nam & aliena facta potest prædicere atque præscire, sed ait: Potens est & facere, ac per hoc facta non aliena, sed sua.

Jam nemo non videt, nisi oculos habeat clausos, haud fuisse quæstionem Augustino eum Pelagio, & ejus reliquiis, an prædestinatio foret scientia simplicis intelligentiæ, vel conditionata, quam Recentiores quidam mediam appellant. De qua ergo? Existimo de scientia visionis, quæ Deus novit ea, quæ infallibiliter eventura sunt vel ex viribus naturæ, vel per specialem gratiam Dei. Hanc porro gratiam D. Aug. cum Ecclesia Catholica affirmabat necessariam ad omne opus bonum & salutare, etiam ad fidem seu initium fidei contra Pelagium & ejus reliquias: & præparationem huius gratiæ, quæ non est aliud, quam decretum efficax dandi eam, vocat prædestinationem Dei in bono, quæ certissimè liberantur, quicumque liberantur, inquit Aug. d. cap. 14. de Dono persever. ut supra audivimus.

Sed hinc oritur quæstio: utrùm descriptio prædestinationis ab Augustino tradita, quæ est nostra Conclusio, sit adæquata, id est, comprehendat omnem prædestinationem. Enimvero si verbum, Liberari, propriè & strictè capiatur, prout supponit captivitatem peccati, clarum est non comprehendere prædestinationem Christi vel Angelorum; quoniam isti nunquam sub peccato fuere captivi. Et ita (inquit Smis. sup. n. 264.) haud dubiè liberationis vocabulum usurpavit S. Aug. cum ait, per prædestinationem electos liberari: sæpe enim, cum disputat de hominum prædestinatione, agit de segregatione electorum ex massa perditionis, & gratuitum beneficium huius segregationis contra Pelagianos, & Semipelagianos astruit, omneque humanum meritum à causa huius electionis excludit. Quod

11.
Prædestinatio est gratia præparatio, gratia verò prædestinationis effectus.
S. Aug.

12.
Non fuit quæstio S. Aug. cum Pelagio de scientia simplicis intelligentiæ.

Gratia est necessaria ad omne opus salutare

13.
An descriptio prædestinationis sit adæquata.

Offenditur quod non, si vocabulum liberationis strictè accipitur.

Quod subinde exemplo prædestinationis Christi confirmatur, non quoddam hæc etiam sit talis liberatio (nec enim exemplorum per omnia similitudo requiritur) sed quoddam sit gratuita electio. Prædestinationis etiam Angelorum & hominum eandem rationem esse agnoscit quoad hoc gratuita electionis beneficium, & quoddam utrique per gratiam salvi fiunt.

14. *S. Aug. scripsit illud accipit.* Augustinus ergo loco citato describit prædestinationem hominis lapsi: quæ descriptio, licet non sit adæquata, tamen sufficit ad institutum Augustini, qui occasione disputationis de gratia, per quam homo in tempore liberatur à massa perditionis, etiam de prædestinatione, prout talis gratiæ æternam præparationem importat, unà disseruit, eod quod in talis gratiæ præparatione, & exhibitione maxime elucet, illam esse meram gratiam, & minime sub meritum hominis cadere: natura enim sic lapsa, & per peccatum infirmata, sibi relicta, supplicio non præmio digna esse potest. Hæc tenus Smif. Ac post pauca: Addendum (inquit) ulterius est, etsi ita strictè usurpaverit Aug. in ea descriptione vocabulum liberationis, largius tamen sumi posse, ut comprehendat præservationem à peccato, cui quis subiceretur, nisi gratia impediret, sive illa sit gratia hypostatice unionis, ut in Christo, sive gratia habitualis & actualis in Angelo & homine pro statu Innocentiæ.

15. *In Script. dicitur quis liberari à malo imminenti.* Sic passim in Scriptura sacra dicitur quis liberari à malo imminente, & non solum à malo, cui jam subiacet, ut Tob. 4. v. 11. Quoniam elemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Proverb. 11. v. 4. Non proderunt divitiæ in die ultionis, iustitia autem liberabit à morte. Et passim alibi in Scriptura petitur liberatio à malis imminetibus; quod in quotidianis orationibus imitatur; & Ecclesia in commendatione agonizantium orat animas illorum liberari de laqueis peccatorum. Et ita intelligenda est descriptio prædestinationis, verbis S. Aug. assignata in Conclusione, ut sit adæquata, seu ut comprehendat omnem prædestinationem, quamvis Aug. ut dictum est, aliter sua verba intellexerit, nimirum de liberatione strictè dicta.

Ly. Liberari, debet sumi latius, ut descriptio sit ad æqualem. Quid si dixerò, etiam in his verbis sup. relatis ex cap. 10. de Prædest. 55. Prædestinatio est gratia præparatio, accepisse gratiam strictè ut contra gloriam distinguitur? Quippe (ut bene notat Smif. sup.) de electione ad gloriam non fuit ei lis cum Hæreticis, & totus illo cap. erat intentus, ut patet ex supradictis, ut probaret contra Pelagium, & ejus reliquias, gratiam strictè dictam esse necessariam ad omne opus salutæ, etiam ad ipsam fidem.

16. *Smifing docet esse largè accipiendum.* Nihilominus Smif. sup. n. 266. docet, gratiam ibi esse largè accipiendam, prout importat quodcumque gratuitum Dei beneficium, pertinens formaliter vel dispositivè ad æternam salutem electorum, adeoque ut importat etiam gloriam, quæ est formalis beatitudo. Nam (inquit ille) & gloria seu vita æterna gratia merito appellatur ad Rom. 6. v. 23. Gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro. Sive spectetur, ut est merces meritum, quia & ipsa merita fundantur in gratia, sive consideretur, ut secundum ordinem intentionis omnino gratis, & ante prævisionem meritum electis decreta est, juxta veriorum sententiam. Neque hinc sequitur, etiam ipsam prædestinationem esse gratiam; nam, quatenus importat liberam terminationem divinæ voluntatis ad salutem electis conferendam, gratuitum quoddam beneficium est.

Hæc, inquam, Sequela non valet: quia gratia in d. verbis Augustini non accipitur pro omni omnino beneficio gratuito; sed pro illo dumtaxat, quod transit in electos, estque adeo quidam effectus Dei ad extra. Unde, ut sup. audivimus, Aug. d. cap. 10. appellat gratiam, Donationem, id est, temporalem doni collationem. Et ibidem ait, gratiam esse effectum prædestinationis. Vide ejus verba sup. Ergo Aug. per gratiam non intellexit ibi prædestinationem, sed tantum sensus esset, prædestinatio est prædestinationis præparatio, quod videri posset ablutio.

Quamquam alioquin D. Tho. 1.2. q. 110. ad in corp. non timeat, prædestinationem vocare gratiam, dicens: Quandoque gratia Dei dicitur ipsa gratia aterna Dei dilectio; secundum quod dicitur etiam gratia prædestinationis, in quantum Deus gratia, & non ex meritis aliquos prædestinavit, sive elegit. Dicitur enim ad Ephes. 1. v. 5. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum &c. in laudem gloriæ gratiæ suæ. Sed hæc est questio de nomine, de qua parum curandum, dummodo constet de re; scilicet per gratiam, quam respicit actus prædestinationis, non posse intelligi ipsam prædestinationem; sed eius gloriam seu vitam æternam, ut latius patebit Sect. sequenti, ubi de effectibus prædestinationis. Nunc aliquid de ejus certitudine dicamus, quam his verbis expressit D. Aug. in sua descriptione: Quibus certissime liberantur, quicumque liberantur. Et quidem hæc certitudo à nullo Doctore Catholico negatur, statimque ex Scriptura, & S. Aug. probabitur; estd difficile sit, eam conciliare cum libertate creatæ, ut patebit ex Conclus. sequenti, quæ talis est:

CONCLUSIO II.

Certitudo prædestinationis non præjudicat libertati creatæ.

Catholici omnes, ut jamjam dixi, affirmant prædestinationem esse certam, imò & hæretici, qui eam fatentur. Et ex hac certitudine (inquit Felix de Prædest. cap. 1. diff. 4. n. 1.) in varios errores hæretici declinaverunt: nam quidam antiqui, dicti Prædestinati dixerunt, non oportere, ut quis sit de sua salute sollicitus; nam quidquid agat, illud tandem complendum est, quod Deus certa prædestinatione, vel reprobatione decrevit: quem errorem allectivè non docebant, sed inferebant ut absurdum.

lardum ex doctrina Augustini, ut pater ex e-
pist. Prosp. ad Aug. Sic ille.

Do verba Epistolæ: Hoc propositum vocatio-
nis, quo vel ante mundi initium, vel in ipsa condi-
tione generis humani, eligendorum, & rejiciendo-
rum dicitur facta discretio, ut, secundum quod pla-
uit creatori, alii vasa honoris, alii vasa contumelia
fieri creari, & lapsis curam resurgendi adimere (di-
cunt) & sanctis occasionem repositi adferre, eo
quod utraq; parte superfluum labor sit, si neque reje-
ctis ullâ industriâ possit intrare, neque electus ullâ
negligentiâ possit excidere. Quoquo enim modo se
egunt, non posse aliud erga eos, quam Deus defini-
vit, accidere, & sub incerta spe cursum non posse
esse constantem: cum, si aliud habeat prædestinatus
electus, cassa sit adnitentis intentio. Removeri ita-
que omnem industriam, tolliq; virtutes, si Dei con-
suetudo humanas preveniat voluntates, & sub hoc
prædestinationis nomine fatalem quandam induci
negligentiam &c. Ubi, ut vides, non absolutè doc-
et dictum errorem: sed eum inferunt ex pro-
posito vocationis, quod Aug. admittebat. En
primus abusus auctoritatis Augustinianæ à Præ-
destinarianis. Prædestinatorum hæresis, ait S.
Prosp. in Chronico, quæ ab Augustini libris
malè intellectis accepisse dicitur initium, his tem-
poribus serpere exorsa. Et Baronius ad an. Chri-
sti 490. ait: post S. Aug. obitum prodixisse
quosdam, qui ex ejus scriptis malè perceptis
compleres invexerunt errores, quos S. Aug.
nomine & auctoritate defendere conabantur:
sed eos, pro defensione S. Aug. agens S. Pro-
sper valde confutavit: dicebantur isti (ut Si-
geberti Chronicon an. 415, annotavit) hæresis
prædestinatorum sectatores.

Noster Bruno Neussler Prodromi velitaris
Parte secunda, n. 10. de Hæresi Prædestina-
tiana ait: hæc in Africa cepit à quibusdam E-
piscopis, ut Baronius & Patres Synodi Valen-
tine diserte testantur; unde in Gallias traje-
cit, eamque ibi quidam Presbyteri professi
sunt, qui se inde pariter Augustini discipulos
esse jactabant. Multa iis opposita ab aliis
Presbyteris. Moraines quoque disp. 11. sect. 1.
n. 2. de prædestiniana Hæresi ait: quem er-
rorem in Africa cepisse, testatur Hincmarus
in Epistola ad Nicolaum Papam, & lib. de præ-
destin. contra Gotschalcum: idemque Prosper
non obscure significat in Epist. ad Aug. præ-
fixa lib. de prædest. Sancti ubi dicit, nonnul-
los in Africa jam antea turbatos fuisse iis, quæ
ille scripserat de prædestinatione, sicut jam
multi ceperant iisdem moveri in Gallia. Afri-
canos autem illos fuisse Monachos Aduemeti-
nos indicat S. Aug. lib. 2. retract. cap. 66. ubi
ait: Propter eos, qui cum defenditur Dei gratia pu-
tantes negari liberum arbitrium; sic ipsi defendunt
liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam, asserentes
eam secundum merita nostra dari: scripsi librum, cui
titulus est, DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO.
Ad eos autem scripsi Monachos Aduemetinos, in quo-
rum monasterio de hac re ceperat esse contentio, ita
ut me consulere eorum aliqui cogerentur. En duo
errores extremi, malè collecti ex epist. 105.

TOMUS II.

Aug. ad Sixtum. Unus, duse Floro, ita prædi-
cans Dei gratiam, ut tollatur liberum arbitrium,
alter ita asserens liberum arbitrium, ut neget
Dei gratiam.

S. Augustinus contra hos errores scripsit duas
epistolas (nempe 46. & 47. inter epistolas Aug.)
ad Valentinum & Monachos: item libros duos,
UNUM DE GRATIA ET LIBERO ARBITRIO, alter-
rum DE CORREPTIONE ET GRATIA, monens
utrumque errorem esse vitandum, & ne decli-
nent ad dexteram vel ad sinistram. Hoc est, ait
epist. 47. non sic defendatis liberum arbitrium, ut
ei bona opera sine Dei gratia tribuatis, ut faciebant
Pelagiani: Nec sic defendatis gratiam, ut quasi de
illa securi malo opera diligatis, ut faciebant Præ-
destinatiani, qui mala opera prædestinatis non
posse nocere dicebant. Pro S. Aug. stans Cœle-
stinus Papa damnavit Prædestinatorum Hære-
sim, teste Hincmaro in epist. ad Nicolaum Pa-
pam, quam refert Baronius ad annum 848, ubi
ait: Prædestiniana hæresis primum fuit in Af-
rica impugnata, & postea in Francia, eodem
tempore, quo hæresis Nestoriana sub Cœlesti-
no Papa, tam hujus auctoritate, quam curâ &
vigiliâ S. Prosperi convicta fuit. Et ad an.
855: occasio hujus congregandi Episcoporum
Conventus (nimirum Valentini) præcipua illa
fuit, quod Scoti quidam vagi homines, quorum
Princeps Gotschaleus, de prædestinatione &
præscientia Dei, de gratia & libero arbitrio pra-
vas opiniones in vulgus spargere laborabant, ex
quibus doctrina catholica corrumpere. His
occurrentes Episcopi, in novitatem ultores ex-
surgentes, nihil præterea in Ecclesiam inducen-
dum censuerunt, quam quod sanctissimi Patres
Doctores Ecclesiæ fideles omni sinceritate do-
cuissent in Africa olim in Concilio Carthagi-
nensi, in Galliis in Concilio Arausicano. Ac-
cipe hujus canonem 25. Aliquis verò ad malum
divina potestate prædestinatos esse, non solum non
credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum cre-
dere velint, cum omni detestatione illis anathema
dicimus.

Quoad progressum hujus hæresis ait Baro-
nius ad annum 490: his autem detentis errori-
bus fuit Lucidus quidam magni nominis pres-
byter; sed illico ait Bruno supra, à Synodo A-
relatenfi & Lugdunensi damnatus est. Et qui-
dem in Synodo Arelatenfi 30. Episcoporum an-
no 490. ut vult Baronius, epistola fausti ad Lu-
cidum approbata fuisse dicitur, & ab Episcopis
subscripta. Hæc epistola referuntur & anathe-
matizantur Prædestinatorum errores, eadem-
que convictus Lucidus, & ad Fidem Catholi-
cam reductus, errorum abjuratorem & fidei
professionem obtulit eidem Synodo Arelaten-
si. Vide Baronium, & Moraines supra n. 50.
&c. Eandem quoque prædestinarianam hære-
sim Fulgentius in Monimo Afro prostravit.
Revixit deinde in Clemente Scoto sub S. Bo-
nifacio Apostolicæ Sedis Legato anno 745. qui
Bonifacius congregavit Concilium Episcopopo-
rum in Germania, teste Baronio in annum
hunc, ubi ea, quæ succreverant in agro, licet
M sæpe

21.

Virumque
declinan-
dum mones
S. Aug.

Prædestina-
tianos dam-
nat Cœlesti-
nus Papa.
Baronius.

Concil.
Valent.

Arausica-
num.

22.

Lucidus
prædestina-
tianos da-
nat in A-
relatenfi.
Baronius.

Clement
Scotus à S.
Bonifacio
& Synodo
Germania.
Baronius

sæpe culto, spineta, quæ jam magna ex parte duobus aliis Conciliis excisa fuere, immissa rursus Apostolica falce idem Pontifex Bonifacius unâ cum collegis Episcopis auxilio Christianissimorum Principum Carolomanni & Pipini succidit. Actum est in eo præcipue de duobus illis hæreticis Aldeberto atque Clemente, visumque est de iisdem referendum ad Rom. Pontificem, ita Baronius. Et statim: Tôtius autem erroris, qui tum in Germania grassabatur, præcipui auctores duo fuerunt Hæretici Clement & Aldebertus.

23.
Deinde à
Zacharias
Papa &
Concilio
Romano.
Baronius.

Sententia in
anno.

Postea addit Baronius: Ut damnati Aldebertus & Clement ab Apostolica quoque sede sententiam damnationis acciperent, idem S. Bonifacius legavit Romam ad Zachariam Pontificem Deneardum Presbyterum, cui & litteras dedit unâ cum actis ad eandem causam spectantibus. Quibus Zacharias acceptis, Concilium collegit Episcoporum, in quo eisdem hæreticos condemnavit. Inter errores autem Clementis refertur, quod contra Catholicam contendit Ecclesiam, abnegans scilicet & refutans Canones sacros, tractatus & expositiones Sanctorum Patrum Hieronymi, Augustini & Gregorii. Multa quoque alia horribilia & contraria fidei Catholice de prædestinatione Dei affirmat. Sententia in Clementem hæc fuit: Similiter & Clement, qui per suam stultitiam Sanctorum Patrum statuta, omniaque Synodalia acta respuit &c. ab omni sacerdotali officio nudatus sit, & anathematis vinculo obligatus, partiterque Dei iudicio condemnatus, & omnis, qui ejus sacrilegis consenserit prædicationibus. Subscriptis Zacharias Papa, & alii de Concilio. Deinde Zacharias direxit ad Bonifacium sententiam, ut, lectâ in Provincia Francorum, omnis Schismaticus audiens taliter à Sancta & Apostolica Ecclesia judicatum, à sensû sui pravitate relapsæ.

24.
Gotescalcus
Prædestina-
tians dâ-
natur à Syn-
odo Mo-
guntina.
Baronius.

Moraines.

Errores ejus
præcipui.

Iterum dâ-
natur in
Synodo Ca-
rifiacensi.

Revixit etiam apud Brunonem in Albanensibus, de quibus Gualter. in Tab. Chron. ex Prateolo & Castro. Et amplius in Goteschaleo & sociis: unde Baronius ad annum 848: Goteschaleus quoque quidam Presbyter, de prædestinatione Dei prava sentiens (in Synodo Moguntina) rationabiliter, ut plurimis visum est, convictus, & ad proprium Episcopum Hincmarum Rhemos transmissus est: cum epistola, ait Moraines, Synodica, damnationis causam continente. Præcipui autem errores ejus erant: Deum ab æterno prædestinasse, quos voluit ad regnum, & quos voluit prædestinasse ad interitum: atque illos quidem perire non posse, istos autem non posse salvari. Item Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed eos dumtaxat, qui salvantur reipsâ. Neque venisse Christum, ut omnes salvos faceret, aut passum esse pro omnibus, sed pro iis tantum, qui passionis ejus mysterio salvantur &c. Propter hos errores damnatus iterum fuit ab Hincmaro & aliis Episcopis in Synodo Carifiacensi, & reclusus in monasterium, ubi tam diu Virgis cæsus est, donec librum suum in ignem

propè accensum conjiceret. Verum quidam est, Ecclesia Lugdunensis lib. de tenenda Scripturæ veritate, & lib. de tribus epistolis, Synodusque Valentina benignius interpretatur. Propositiones Goteschalei, de voluntate Deo consequente & efficaci ac absoluta: Synodus vero Moguntina cum Rabano, & Carisiaco cum Hincmaro de voluntate antecedente & efficaci ad mortem æternam, adeoque ad peccatum æternæ mortis causam: sed hunc fuisse veterum Prædestinatorum sensum testatur Hincmarus lib. de Prædest. cap. 15. ubi ait: Veteres prædestinati reprobos prædestinatos nem ad interitum consentient, quos sicut dicunt à Deo prædestinatos ad interitum, ita etiam ad peccatum. Hoc moderni prædestinati colore mutant, sed odor & saporis intelligentiæ redolent. Dicunt enim: prædestinavit Deus reprobos ad interitum, non ad peccatum, cum non nisi per peccatum perire valeat ad interitum. Hunc quoque sensum damnat Ecclesia Lugdunensis lib. de tribus epistolis: nec eum esse S. Augustini, docet S. Prosp. ad cap. Gall. & ad Object. Vincens. excerptaque Genueisum. Errores Goteschalei propugnarent alii, sub Ruperto Abbate, ut observat Cellot. de hist. Goteschalei in app. sect. 1. qui & lib. 5. c. 19. Prædestinatorum dicit Thomam Bradibardium Anglum: & hic Thomas Theologos contra sentientes Pelagianos esse dicebat. Wiclef & Hus cū sectariis fuisse Prædestinariani, Hæretici. De illis Waldensis lib. 1. cap. 1. art. 22. Destruunt libi prædicti liberum arbitrium; quidam publice, sicut Manichæi & Iovinianisti, quidam occulte, sicut Prædestinariani & Wicleffite. Et Gabriel Prætorum verbo prædestinati. De hac Hæresi & ejus immigratione hujusmodi temporibus vide plura in Buisis & Martino Luthero; Unde ejusdem quoque furfuris Lutherus est & Calvinus, eorumque Discipuli. Hæc igitur Prædestinarianæ Hæresis à quinto sæculo huc usque propagata fuit. An similiter huc usque propagata sit Hæresis Pelagiana aut Semi-pelagiana, cui ex ista parte se opposuit S. Aug. Prosp. & alii, non totis constat. Hactenus de abusu primo auctoritatis Augustiniane.

Redeo ad Felicem: ex eodem (inquit ille) Augustino alii hæretici inferebant, inquit, esse peccatorem corripere; Sed solum orandum esse Deum, ut illi gratiam conversionis conferat, teste eod. S. Doctore lib. de Corrept. & grat. (quem contra ipsos composuit) cap. 3. in principio: Ergo, inquit, præcipiant tantummodo nobis, quid facere debeamus, qui nobis præsumunt, & ut faciamus orent pro nobis; non autem nos corripiant, & arguant, si non fecerimus. Ipse autem respondet: Imo omnia fiant, quoniam Dilecti res Ecclesiarum Apostoli omnia faciebant, & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant, si non facerent, & orabant, ut fierent: Præcipit Apostolus (1. Cor. 16. v. 13.) dicens: Omnia vestra in charitate fiant. Corripit (1. Cor. 6. v. 7. 8. & 9.) dicens: Jam quidem omnino delictum est

in vobis, quia iudicia habetis vobiscum &c. Audiamus & orantem (1. Thess. 3. v. 13.) Vos autem, inquit, Dominus multiplicet & abundare faciat in charitate in invicem, & in omnes. Praecipit ut habeatur charitas, corripit, quia non habetur charitas; orat, ut abundet charitas. O homo in præceptione cognosce, quid debeas habere; in corripitione cognosce, tuo te vitio non habere; in oratione cognosce, unde accipias, quod vis habere. Huc etiam S. Doctor Et verò (ut bene notat Felix sup.) contra hos hereticos est, quia neque orandum esset pro illis; nam si ve oretur, si ve non, quod Deus ab æterno decrevit, eveniet, inquit ille. Et continuo attestat: Wicleff, Lutherus, & Joan. Hus, ut colligitur ex Conciliis Constantien. sess. 15. & Trident. sess. 6. cap. 11. ex certitudine dicebant tolli libertatem, Ita Felix.

Sed ego ex illis Conciliis id nequeo colligere. Quamquam mihi certum sit, & unicuique esse debeat, prædestinationem nullatenus præiudicare libertati creatæ, ut in progressu apparebit, & constat ex dictis de præscientia Dei & providentia in genere. Vide Disp. 1. Sect. 5. Conclus. 2. & disp. 3. Sect. 1. Conclus. 5. Si enim nec præscientia Dei fallitur, neque providentia, & tamen homo liberè operatur; quidni & prædestinatio sit certa ac infallibilis, etiam si maneat libertas arbitrii creati? Noli dubitare, si non vis errare. Si ergo, quod Deus providit, & præcivit, eo modo quo providit & præcivit, infallibiliter eveniet; etiam quod prædestinavit, eo modo, quo prædestinavit, certissime fiet, tametsi liberè.

Potest hæc certitudo probatur (inquit Felix sup. n. 2.) ex Joan. 6. v. 37. Omne, quod dat mihi Pater, ad me venit, & cum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Ubi loquitur de datis Christo à Patre ex speciali dono prædestinationis; prout rectè notat Aug. de Corrupt. & grat. cap. 9. ibi: Hi ergo Christo intelliguntur dati, qui ordinati sunt in vitam æternam. Ipsi sunt illi prædestinati, & secundum propositum vocati, quorum nullus perit. Ac per hoc nullus eorum, ex bono in malum mutatus, finit hanc vitam, quoniam sic est ordinatus, & ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam æternam.

Alium locum Scripturæ adducit Felix sup. ad idem propositum ex Epist. 1. Joan. cap. 2. v. 19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Hæc Scripturæ etiam Aug. utitur d. cap. 9. ubi priora verba: Ex nobis exierunt (sic ipse legit) sed non erant ex nobis, explicat dicens: Hoc est, & quando videbantur in nobis, non erant ex nobis. Et tanquam ei diceretur: unde id ostendis? Quod si fuissent, inquit, ex nobis, permansissent utique nobiscum. Filiorum Dei vox est: Ioannes loquitur in suis Dei præcepto loco constitutus. Cum ergo filii Dei dicunt de his, qui perseverantiam non habuerunt: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, & addunt: Quod si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, quid aliud dicunt, nisi non erant filii, etiam quando erant in professione & nomine

TOMUS II.

filiorum

Erant itaque in bono, sed quia in eo non perseverant, id est, non usque in finem perseveraverunt, non erant, inquit, ex nobis, & quando erant nobiscum, hoc est, non erant ex numero filiorum, & quando erant in fide filiorum: quoniam qui verè filii sunt, præciti & prædestinati sunt conformes imaginis Filii ejus, & secundum propositum vocati sunt, ut electi essent. Non enim perit filius promissionis, sed filius perditionis. Fuerunt ergo isti ex multitudine vocatorum: ex electorum autem paucitate non fuerunt. Utique quia non certissime liberati fuerunt, hoc est, perseverantiam non acceperunt. Quicumque ergo (concludit ibidem S. Pater) in Dei providentissima dispositione præciti, prædestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, jam filii Dei sunt, & omnino perire non possunt, id est, omnino non peribunt.

Quam explicationem colligo ex eo, quod sup. dicat: Non perit filius promissionis. Et cap. 7. ejusdem libri, inquit: Horum (prædestinatorum) si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. Alioqui istum, qui est prædestinatus, posse damnari, docet in terminis Scotus 1. dist. 40. q. un. Virum prædestinatus possit damnari. Respondet Doct. n. 2. Ad istam questionem dico, quod prædestinatio proprie sumpta (id est formaliter) dicit actum voluntatis divine, videlicet ordinem electionis per voluntatem divinam alicujus creatura intellectualis vel rationalis ad gratiam & gloriam: licet possit accipi pro actu intellectus concomitante (aut potius subsequente) istam electionem. Sicut igitur in generali dictum est de libertate & contingentia voluntatis divine respectu quorumcumque objectorum secundariorum specialium, ita dicendum est respectu hujus objecti secundarii, scilicet velle huic gratiam & gloriam.

Ex hoc dico, quod propter illa, quæ dicta sunt in quest. precedente, quod Deus contingenter prædestinat illum, quem prædestinat, & potest non prædestinare: non simul ambo opposita, nec successive, sed utrumque divisim in instanti æternitatis. Constat igitur dico ad questionem in se, quod iste, qui est prædestinatus, potest damnari: non enim propter ejus prædestinationem est voluntas ejus confirmata, & ita potest peccare, & ita pari ratione in peccato stare finaliter, & ita justè damnari: sed sicut potest damnari, ita potest non prædestinari. Ita Doctor Subtilis.

Ego consequenter dico, quod iste, qui est reprobatus, potest salvari: non enim propter ejus reprobationem est voluntas ejus obliata, & ita potest non peccare, & ita pari ratione in gratia stare finaliter, & ita misericorditer salvari. Equidem (ut eleganter S. Prosp. Resp. ad 6. object. Vincentianam) Hoc inter malos homines distat & demones, quod hominibus etiam valde malis superest, si Deus miscatur, reconciliatio: demonibus autem nulla est in æternum servata conversio. Hinc meritò dixit S. Ambrosius in

M 2

cap. 2.

29.

Soli prædestinati sunt verè filii Dei.

Et hi tales sunt etiam antiqui nati.

30.

Horum nullus perit.

An possint perire.

Quid sit prædestinatio secundæ Scotum.

31.

Deus contingenter prædestinat.

Iste, qui est prædestinatus, potest damnari.

32.

Iste, qui est reprobatus, potest salvari.

S. Prosp.

S. Ambr.

cap. 2. Lucæ: Novit Dominus mutare sententiam, si tu noveris mutare delictum. Sed quia reprobis non novit mutare delictum, id est, non mutat delictum finale, tamen potest mutare; ideo nec Deus novit mutare sententiam, id est, non mutat sententiam, esto possit mutare. Concludamus igitur cum D. Aug. lib. 22. contra Faustum c. 28. Magna est itaque & humana creatura, quandoquidem per eam possibilitatem instauratur, per quam, si voluisset, nec cecidisset. Quid ni ergo reprobis possit stare finaliter in gratia, sicut Adam potuit stare, & ita misericorditer salvari?

D. Aug.

33.
Quomodo
hec sint in-
telligenda,
ex Scoto.

Sensus com-
positus est
falsus, divi-
sus autem
verus.

34.
Quis sit
sensus com-
positus, &
quis divi-
sus.

Obiectio ex
Arist.

35.
Solvitur à
Scoto.

Explicatur,
quid ratione
Deus con-
tingenter
prædestinet.

Sed revertamur ad Scotum, qui ad maiorem explicationem suæ doctrinæ verbis sup. allegatis immediatè subiungit sequentia verba: Quantum autem ad Logicam, propositio proposita (ut puta: Iste qui est prædestinatus potest damnari) distinguenda est secundum compositionem, & divisionem: & in sensu compositionis per se extremum est homo vel persona prædestinata, sub ista determinatione, prædestinatus: & iste sensus falsus est. In sensu autem divisionis, sunt dua categorica, & enuntiat de persona aliqua beatificabili in una categorica esse prædestinatum, & in alia posse damnari: & ista duo sunt vera de eodem subiecto; nec ita vera, quod simul possunt esse opposita; nec etiam quod unum possit succedere alteri; quia in aternitate est utrumque; sed vera simul, in quantum volitio divina consideratur, ut prior naturaliter transitu ipsius super illud obiectum, quod est gloria istius. In illo priori naturaliter non repugnat sibi esse oppositi obiecti; imò posset equaliter esse oppositi, licet non simul amborum.

Interrogas: equis ille sensus compositionis, qui falsus est? Respondeo: Petrus prædestinatus potest damnari. Porro sensus divisionis verus: Petrus est prædestinatus, & Petrus potest damnari. Sed contra: Omne præteritum est simpliciter necessarium; quia secundum Philosophum 6. Ethic. c. 3. Hoc solo privatur Deus, ingenta facere, quæ facta sunt. Sed prædestinatio Petri transit in præteritum; quia Deus prædestinavit ipsum ab æterno; ergo est simpliciter necessarium; ergo non potest Deus non prædestinasse, & per consequens non potest iste damnari.

Respondet Scotus sup. n. 3. Quod argumentum procedit ex falsa imaginatione, cuius imaginationis intellectus juvat ad intelligendum veritatem propositæ questionis. Si enim per impossibile intelligeremus, Deum adhuc non determinasse voluntatem suam ad alteram partem, sed quasi deliberaret, utrum vellet istum prædestinare, aut non; bene posset intellectus noster capere, quod contingenter ipsum prædestinaret, vel non prædestinaret; sicut patet in actu voluntatis nostræ; sed quia semper recurrimus ad actum voluntatis divina quasi præteritum, ideo quasi non concipimus libertatem in voluntate illa ad actum, quasi jam sit positus absolute. Sed ista imaginatio falsa est. Illud enim nunc aternitatis, in quo est iste actus, semper præsens est: & ita intelligendum est de voluntate divina, sive volitione ejus, ut est hujus obiecti, sicut per impossibile nunc inciperet Deus habere velle in isto nunc: & ita libere potest Deus in nunc aternitatis velle, quod vult, sicut si ad nihil esset voluntas sua determinata.

Tunc dico ad formam argumenti; quod prædestinatio hujus non transit in præteritum; licet enim ipsa coexistit præteritis, quæ transierunt; non tamen ipsa præteritis, si alia præterierunt, quæ coexistunt sibi. Unde, sicut dictum fuit dist. 9. verba diversorum temporum dicta de Deo, prout verissime comparant sibi, non consignificant partes temporis mensurantis actum illum; sed consignificant nunc æternitatis, quasi mensurans illum actum, in quantum coexistens illis pluribus partibus temporis. Et ideo idem est, Deum prædestinare, & prædestinasse, & prædestinaturum esse: & ita contingens unum suum aliud; quia nihil est, nisi nunc æternitatis, mensurans illum actum, quod nec est præsens, nec præteritum, nec futurum, sed coexistens omnibus istis. Hucusque Doctor subtilis, suo more subtiliter.

Cui si rursum objicias: prædestinatus non potest damnari, nisi per actum suum; ergo potest actum voluntatis creatæ posset impediri actus voluntatis divinæ, quod est impossibile. Respondet ibidem: Quod voluntas creatæ non potest impedire ordinationem voluntatis divinæ, nam impossibile esset, si sciret propositum voluntatis divinæ, & oppositum eveniret per voluntatem creatam: Hoc autem est impossibile: quia sicut voluntas creatæ potest mereri damnationem, ita etiam potest contemnere sequi, quod voluntas divina non præordinaverit ipsam ad gloriam. Unde dictum est dist. prædest. in conclusionem primi argumenti ad secundam questionem, quod Deus non potest falli; quia non potest præintellectio ejus respectu actus cum opposito illius: ita non potest impediri voluntas ejus; quia non potest stare ordinatio sui cum opposito ejus, quod dicitur. Ita Scotus.

Cæterum ex jam dictis haud difficulter solvuntur objectiones hæreticorum, quarum prima est: Prædestinati semper diliguntur à Deo; sed à Deo dilecti sunt sancti; ergo prædestinati numquam peccabunt. Respondet Felix sup. n. 3. quod tam prædestinati, quam sancti, quando sunt in gratia, diliguntur, & quamdiu sunt in peccato, odio habentur; est tamen discrimen; nam prædestinati semper diliguntur à Deo secundum finalem sententiam (& ideo secundum Augustinum, ut sup. audivimus, simpliciter appellantur filii Dei) etiam si quando sunt in peccato odio habentur, & reprobi odio habentur secundum sententiam finalem (& ideo non merentur appellari simpliciter filii Dei secundum Augustinum) etiam si quando sunt in gratia diliguntur. Sic ille.

Si inferas: ergo saltem erit necessarium, ut reprobis moriatur in peccato, & prædestinatus in gratia. Respondet Felix: concedendo de necessitate consequente, & negando de antecedente. Sive, quod in idem redit, concedendo Consequentia in sensu composito, secus in sensu diviso. Sed contra: 1. Joan. 3. v. 9. Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Ergo prædestinatus non solum non peccat saltem finaliter, sed nec potest peccare: ergo est necessarius. Respondet Felix sup. verba ista Joannis vera esse.

esse in sensu composito, falsa in sensu diviso. Nam (inquit) homo iustus potentiam habet ad peccandum, licet non possit componere simul gratiam & peccatum. Alioqui de fide est, hominem semel iustificatum posse peccare, ex Trid. sess. 6. can. 23. Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere &c. anathema sit. Igitur hæc obiectio nullius est momenti.

Obijciunt præterea ex Scriptura, quod habetur: Petri 1. v. 10. Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Ergo supponit Apostolus Petrus, vocationem & electionem non esse certam. Responder Felix sup. n. 4 Petrum non loqui de vocatione prædestinationis æternæ, sed de illa, quæ in tempore vocatur ad fidem & iustitiam; nam, quævis in potestate hominis non sit, ut vocatio ejus sit congrua; est tamen in potestate ejus, consentire vel non consentire vocationi efficaci. Addo: quod licet prædestinatio in intentione non sit in nostra potestate, est tamen in operando. Hæc ille.

Jurabit etiam audire D. Aug. de Prædest. SS. c. 5. Quisquis (inquit) audeat dicere, habere ex merito fidem, non ergo accipi, profecto contradicit huic apostolicæ veritati (Quis enim te discernit, quid autem habes, quod non accepisti?) non quia credere, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ; sed in electis præparatur voluntas à Domino. Ergo secundum D. Aug. gratia efficax credendi non tollit libertatem arbitrii voluntatis humanæ ad non credendum. Sed in electis (id est, prædestinatis) præparatur voluntas à Domino; Utque vocatione illa, de qua dictum est: sine penitentia sunt dona & vocatio Dei, Rom. 11. v. 19. Nam (inquit S. Aug. De Dono persever. c. 17.) in sua, quæ falli mutari non potest, præscientiâ, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam est prædestinare.

Sed nunquid exinde homines negligentes fiunt in salute procuranda? Sicut autem (prosequitur Aug.) ille, quem casum futurum esse præscivit, quævis id incertum habeat, agit ut castus sit: ita ille, quem casu futurum prædestinavit, quævis id incertum habeat, non idem non agit ut castus sit, quoniam Dei dono se audit futurum esse, quod quærit, imò etiam gaudet ejus charitas, nec inflatur, tanquam id non accepit. Non solum ergo prædicatione prædestinationis ab hoc opere non impeditur, verum ad hoc adjuvatur, ut, cum gloriatur, in Domino gloriatur. Quod autem dixi de castitate, hoc de fide, hoc de pietate, de charitate, de perseverantia, & ne pergam per singula, hoc de omni obedientia, quæ obediatur Deo, veracissime dici potest. Ita S. Doctor.

Quod probè sciens Apostolus Paulus, audi quid de seipso dicat: Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id, quod sum, 1. Cor. 15. v. 9 & 10. Atque ut ostenderet (ut verbis Aug. de Grat. & lib. arbit. c. 5.) & liberum arbitrium, mox addidit: Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi. Hoc enim liberum arbitrium

hominis exhortatur & in aliis, quibus dicit (2. Cor. 6. v. 1.) Rogamus ne invacuum gratiam Dei suscipiatis. Vt quid enim eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut propriam perderent voluntatem? Tamen, ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continud cum dixisset: Gratia ejus in me vacua non fuit &c. subiunxit atque ait: Non ego autem, sed gratia Dei mecum: id est, non solus, sed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo. Vt autem de cælo vocaretur, & tam magna & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola; quia merita ejus erant magna, sed mala.

Non igitur miremur, quod Apostolus Petrus exhortetur fratres, ut per bona opera certam suam vocationem (etiam intelligendo de vocatione prædestinationis æternæ) & electionem faciant. Nam (inquit Felix sup.) sicut certum est, prædestinationem esse certam, ita de fide certum est, bonis operibus esse adimplendam: & cum sine speciali revelatione sciri non possit, quis sit prædestinatus; & cum solus, qui perseveraverit usque in finem, salvus erit; nullus sine ingenti temeritate à bonis operibus desistere poterit. Si autem alicui Deus suam prædestinationem revelaret, inde non posset negligentiam motivum accipere; sed potius diligentius in bonis operibus exerceri: sicut milites de victoria certi multo fortius pugnarent, ac si essent de victoria dubii. Si verò alicui reprobatio revelaretur, poterat motivum negligentiam assumere; sed idem nulli est reprobatio sua revelata. Hæc ille.

Merito proinde Apostolus Petrus sup. dixit: Fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis; non quod in se incerta sit, sed quia nobis incerta, & non nisi per bona opera adimplenda. Unde subditur: Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Salvatoris Iesu Christi. Nec tantum abundanter, sed etiam certissime. Sed nunquid hæc certitudo præjudicat libertati voluntatis creatæ? Negat Conclusio. Si namque præscientia futurorum, quæ certissima est, non præjudicat eorum contingentiam, ut vidimus Disp. 1. Sect. 5. Conclus. 2. sed neque providentia divina, quæ non fallitur, prout dictum fuit hæc Disput. Section. 1. Conclus. 5. quidni idem sentire debeamus de prædestinatione divina; quæ est pars vel integralis vel subjectiva providentiæ?

Quocirca dico, opera bona, per quæ certam nostram vocationem & electionem facimus, libera esse, non solum à coactione, sed etiam à electorum necessitate, id est, libera libertate indifferentiæ; ne alioquin cogamur fateri, ea opera non esse meritória vitæ æternæ contra expressam definitionem Concilii Trident. sess. 6. can. 32. Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius iustificati merita: aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum

Voluntas sine gratia nihil boni potest.

Prædestinatio bonis operibus est adimplenda.

Prædestinatio in se certa est, sed nobis incerta.

Hæc certitudo non præjudicat libertati creatæ.

Opera bona electorum sunt libera à necessitate.

Suntque bona iustificati merita. Conil. Trident.

gratia, vitam eternam, & ipſus vita eterna, ſi tamen in gratia deceſſerit, confeſſionem, atque etiam gloria augmentum; anathema ſit.

47. Et verò quis audeat dubitare, dicta opera eſſe effectus prædeſtinationis, ſeu beneficia Dei, quibus ceruſſimè liberantur electi? Subvenit eſt (auditis Auguſtinum lib. de Corrept. & grat. c. 12.) infirmitati voluntatis humana, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur, & ideo quàmvis infirma non deſiceret, neque aduerſitate aliquà vinceretur. Ita factum eſt, ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perſeueraret per virtutem Dei, cum & voluntas primi hominis foris & ſana in bono ampliore non perſeueraret habens virtutem liberi arbitrii, quàmvis non deſuturo adjuutorio Dei, ſine quo non poſſet perſeuerare, ſi vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur ut vellet. Foriſſimo quippe dimiſit atque permittit facere quod vellet: infirmuſervavit, ut ipſo dominante invictiſimè, quod bonum eſt, vellent, & hoc deſerere invictiſimè nollent.

48. Equidem liberè libertate indifferentiæ, quia meritorie. Quid miraris? Siquidem hanc propoſitionem: Ad merendum & demerendum in ſtatu natura lapſe non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione. Hanc, inquam, propoſitionem Innoc. X. Bulla: Cum occasione, hæreticam declaravit, & uni talè damnavit. Ergo prædeſtinatio, ſeu certitudo prædeſtinationis, vel tollit meritum, vel relinquit libertatem indifferentiæ: ſed non tollit meritum; ergo relinquit libertatem indifferentiæ. Vide alibi dicta de hac libertate.

49. Breviter hle dico: Deus non ſolùm prædeſtinavit ſubſtantiam actus, ſed etiam modum, nempe libertatem; & ita tantum abeſt, ut prædeſtinatio lædat libertatem, quòd illam aſtruit, inquit Felix ſup. diffi. 5. n. 1. Appoſitè S. Proſp. lib. 2. de Vocat. Gent. c. 12. dixit Multis, qui jam iudicio rationis utuntur, ideo liberum eſſe diſcedere (à Deo) ut non diſceſſiſſe ſit pramium: & ut, quod non poſſeſt niſi cooperante ſpiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.

50. Sed enim, dicit aliquis: ſecundum Ariſtotelem lib. 2. Priorum c. 12. Poſſibile dicitur illud, quo poſito nullum ſequitur impoſſibile: ſed ſi prædeſtinatus poſſeſt damnari, poſita damnatione ſequitur impoſſibile, nempe quòd voluntas efficaci Dei non adimpleatur; ergo prædeſtinatus non poſſeſt damnari; ergo neceſſariò ſalvatur & non liberè. Reſpondet Felix ſup. n. 2. Majorem Ariſtotelis eſſe veram, quando poſſibilitati rei non eſt ſimul adjuncta infallibilitas futuritionis oppoſitæ, ut contingit hle, quod non cognovit Ariſtoteles: nam in hoc caſu non eſt admittendum, quòd hoc poſſibile ponatur in eſſe, quia darentur duo contradictonia, cum oppoſitum huius poſſibilis ſit infallibiliter futurum, quàmvis liberè. Sic ille. Vide quæ ſup. dixi ex Scoto.

51. Inſtat quiſpiam: ſi poſitæ prædeſtinatione damnatio eſt impoſſibilis; ergo etiam potentia ad damnandum. Probatur Conſequentia, quia potentia illa eſt impoſſibilis, cujus actus eſt im-

poſſibilis. Reſpondet Felix ſup. damnationem revera eſſe poſſibilem, quàmvis propter infallibilitatem divinæ prædeſtinationis de facto non ponatur in eſſe. Nam (inquit) neceſſitas iſta ſolùm eſt conſequentiæ, & ſecundum quid, & in ſenſu compoſito, hoc eſt; quòd iſta duo non poſſunt ſtare ſimul, quòd Petrus ſit prædeſtinatus, & quòd damnetur.

Si inferas: ergo prædeſtinatio Dei poterit fruiſtrari, & voluntas Dei irritari, quàmvis nunquam fruiſtratur. Reſpondet: nulluſ eſt inconveniens hoc concedere in ſenſu diviſo, quia nihil aliud eſt, quàm ſateri, quòd ſuppoſita prædeſtinatione maneat in homine libertas. Et quàmvis loco citato (de Grat. c. 1. diffi. 1. n. 15.) hoc negavi, nihilominus dicere, quòd poſſit fruiſtrari prædeſtinatio, conformius eſt Tridentino ſeſſ. 6. can. 4. ſequentis tenoris: Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponere ac præparare, neque poſſe aſſentiri ſi velit, ſed velle inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.

Rogas: quare ergo Felix loco citato hoc negaverit? Quia (inquit ille) auxilium fruiſtrari non eſt, quomodocumque poſſe facere oppoſitum; ſed tali modo, quòd contra ipſum auxilium, etiam prout deſcendit à Deo, poſſit oppoſitum, & ſic non poſſumus, ſed ſolùm in ſenſu diviſo. Ita Felix.

Et paulò poſt ponit diſcrimen inter fruiſtrare, & Reſſtere, dicens: ex parte fruiſtrationis ſenſu diviſo non eſt locus; nam dicit ſenſum compoſitum; quia fruiſtratio, cum ſit deſtructio voluntatis efficaciæ Dei, poſita in re oportet quòd componat liberum arbitrium oppoſitum cum determinato à divina voluntate, vincendo efficaciæ Dei; aliàs voluntas Dei non fruiſtratur. Reſiſtentia verò poſſeſt admittere ſenſum diviſum; quia reſiſtentia ſolùm dicit conatum, non victoriam, ſicut importat fruiſtratio; & ita admittere poſſeſt reſpectum potentie reſiſtentie ſeu conantis in oppoſitum, quantum eſt ex parte ipſius objecti, & actus, ad quem Deus movet; non autem ex parte applicationis Dei, & quoad totum hoc conjunctum & compoſitum eſt reſiſtentia; & ſic loquitur Scriptura dicens, quòd Deo non poſſumus reſiſtere. Ex parte potentie antecederet ſumptæ, & ex parte actus & objecti, ad quod Deus movet, rectè ſtat reſiſtentia, & diſſenſus in ſenſu diviſo, & ſic loquuntur Concilia. Hucusque Felix.

Sed quæ illa Concilia? Specificat ipſe Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 8. Quippe qui illam (gratiam prævenientem) abſicere poſſeſt. Et Concil. Senonenſe in Decret. 15. Fidei auxilium non eſt tale, cui reſiſti non poſſit. Verum enimvero, ſi Trident. dicto cap. 5. loquitur de reſiſtentia in ſenſu diviſo, cur non etiam dicto can. 4. qui correſpondet d. cap. 5. Ergo dicere, quòd poſſit fruiſtrari prædeſtinatio, non videtur conformius Tridentino. Utur ſit de hoc, parum refert, quia ſolùm quaſtio eſt de homine.

De re obijcitur: prædestinatio non subest nostræ libertati, cum sit ante nostrum consensum, præcognitum ut futurum: ergo neque a-ctus bonus, qui infallibiliter sequitur ex ea. Consequentia patet: quia, si non habeo libertatem supra causam, non potero eam habere supra effectum, qui infallibiliter sequitur ex tali causa. Respondet Felix suprà: quod quamvis prædestinatio in intentione non sit in nostrâ potestate, sufficit, quod habeat connexionem cum aliquo, quod est in mea potestate; nam eo ipso, quod Deus prædestinavit me ad gloriam, liberè consequendam, reliquit in me libertatem ad consecutionem illius.

Iam dico de mediis prædestinationis; v. g. auxilio efficaci, quod, quamvis in essendo non sit in nostra potestate, est tamen quoad operandum; nam dependet à nostra voluntate, ut causa subordinata & veluti partiali, & ita mediæ voluntate divina est in nostra potestate, unde non tollit indifferentiam voluntatis, sed solum prædeterminat suspensionem illius. Huc-que Felix. Ego aliam propono difficultatem, & quero, unde prædestinatio habeat certitudinem. Responsio erit.

CONCLUSIO III.

Certitudo prædestinationis sumitur ex efficacia decreti divini, & auxiliorum gratiæ, independenter à consensu voluntatis, per Scientiam mediam prævisio.

Hanc Conclusionem docet Felix sup. de Prædest. cap. 2. diff. 4. n. 7. dicens: Certitudo prædestinationis sumitur ex efficacia divini decreti, & mediorum, quæ ordine causalitatis antecedunt nostram operationem liberam. Ita Scotus 1. dist. 40. & 41. & sumitur ex dist. 39. ubi ait, radicem futurorum contingentium esse divinum decretum. Sic ille. Vide me disp. 1. Secl. 5. Conclus. 5. ubi cum Doct. Subtili assero, Deum infallibiliter prævidere futura contingentia in suo decreto, sive in sua essentia, posito decreto suæ voluntatis circa illam. Ergo decretum est causa, eorum res aliqua infallibiliter eveniant, juxta illud Isaïæ 14. v. 27. Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? Ac si diceret, nullus. Item Esther 13. v. 9. de Deo dicitur: Non est, qui possit tua resistere voluntati, si desideris salvare Israel. Resistere, inquam, cum effectu, sive in sensu composito, ut dixi Conclus. præcedenti, vel, quod in idè recidit, Qui possit, potestate consequente; secus antecedente. Ergo certitudo prædestinationis oritur ex efficacia divini decreti, & non ex sola præscientia futuri eventus, quæ sequitur decretum Dei, ut patet ex alibi dictis.

Alioquin (ut notat Felix sup. n. 5.) decretum Dei non esset causa nostræ perseverantiæ.

Patet; quia si decretum Dei est causa nostræ perseverantiæ, cum tale decretum sit æternum & immutabile; ergo ex efficacia illius est certa nostra prædestinatio, & non præcisè ex præscientia. Sic ille. Hinc D. Aug. de Corrept. & grat. cap. 9. Quicumque (inquit) in Dei providentissima dispositione (quæ non est aliud formaliter, quam decretum seu volitio divina) præcisi prædestinati, vocati, justificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati, jam filii Dei sunt, & omnino perire non possunt. Quare, nisi propter dispositionem Dei, quæ est infallibilis, & præscientiam Dei?

Sequitur apud Augustinum: Hi verè veniunt ad Christum, quia ita veniunt, quomodo ipse dicit (Joan. 6. v. 37.) Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum, qui venit ad me, non ejiciam foras. Et paulò post: Hæc est, inquit, voluntas ejus, qui misit me, Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdat ex eo. Ab illo ergo datur etià perseverantia in bono usque in finem; neque enim datur nisi eis, qui non peribunt, quoniam qui non perseverant peribunt. Ubi S. Doctor tribuit perseverantiam seu infallibilitatem prædestinationis voluntari Patris, quæ aliquos elegit in Christo ante mundi constitutionem, ut essent sancti, non quia futuri erant, ut infra latius dicam.

Nihilominus inveniuntur, qui existimant, prædestinationem esse certam certitudine præscientiæ futuri eventus; quia Deus ab æterno prævidet, quid voluntas liberè operatura erat, & quia scientia Dei falli nequit. Tribuitur (inquit Felix sup.) D. Bonavent. in 1. dist. 40. a. 2. q. 1. sed immeritò. Sic ille. Accipe verba Doct. Seraphici: Est exemplum Boetii in lib. de consol. quod aliquis aspiceret de loco eminenti circumjacentem regionem, ubi est multitudo viarum, quas omnes simul & uno aspectu videret, ambulans per locum istum, quamvis posset per diversas vias ire, non tamen posset visum ejus latere, pro eo, quod nullam viam posset ire, quam ille non videret: si ergo intelligatur unus esse visus, qui posset omnes vias prævidere, & totum posse eum, nullo modo quis eum providentem circumvenire posset. Et talis est aspectus divina præscientiæ; quia ab æterno cognovit, quæ cogitare poteramus vel velle, & simul cum hoc vidit, in quam partem nostra voluntas & operatio inclinatur; & quia totum posse, & velle, & agere complectitur, ideo non potest falli, & quia prædestinatio claudit præscientiam, hinc est, quod concordat cum libero arbitrio, & non potest discordare, & non potest cassari, & necessariò infert salutem, sed non necessariò efficit. Adij Boetii libros de consol. Philof. & quia verba superiora ut jacent apud S. Bonavent. non inveno, do ea, quæ ad rem facere videntur. Lib. 4. prol. 6. definit Philosophiæ providentiam hoc modo: Providentia est ipsa divina ratio, in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit. De præscientia Dei inquit lib. 5. prol. 4. Humana rationis motus ad divine præscientiæ simplicitatem non potest admoveri. Stat tamen eum libertate arbitrii, quia sicut scientia præsentium nihil his, quæ sunt, ita præscientia futurorum nihil his, quæ futura sunt necessitatis importat.

Lati-

Confirmatur ex ratione. Felix.

60. Qui verè veniunt ad Christum.

61. An prædestinatio sit certa certitudine præscientiæ

Bonavent. id non docet

Neque Boetius.

Hic explicat concordiam liberi arbitrii cum præscientia Dei.

Latiùs id explicat proſa 6. Scientia Dei omnem temporis ſupergreſſa motionem in ſua manet ſimplicitate præſcientia, infinitaque præteriti ac futuri ſpatia complectens, omnia, quaſi ſim gerantur, in ſua ſimplici cognitione conſiderat. Itaque ſi præſcientiam penſare velis, quæ cuncta dignoſcit; non eſſe præſcientiam quaſi futuri, ſed ſcientiam nanquam deficientis inſtantia rectius exiſtimabis: unde non providentia, ſed providentia potiùs dicitur, quòd porro à rebus inſimilis conſtituta, quaſi ab excelfo rerum cacumine cuncta proſpiciat. Quid igitur poſtulas ut neceſſaria ſiant, quæ divino lumine luſtrentur, cum ne homines quidem neceſſaria faciunt eſſe, quæ videant? num enim quæ præſentia cernis, aliquam eis neceſſitatem tuam addidiſti intuitus? Et poſtea: hæc divina prænoſtio naturam rerum proprietatemque non mutat: taliaque apud ſe præſentia ſpectat, qualia in tempore olim futura proveniunt.

Hæc non mutat naturam rerum.
Boetius.

62.

Nec inducit neceſſitatem ſimplicitate ſed ex ſuppoſitione tantum.
Boetius.

Vnde inſalubriter ſit, quod Deus prænoſcit futurum.

Equidem præſcientia non dicit certitudinem prædeſtinationi.

63.

Conſonat S. Bonaventura docens, quod prædeſtinatione importet rationem cauſa.

Ecce Boetius non loquitur de præſcientia antecedente omne decretum Dei, aut ſcientiâ mediâ, ſed de præſcientia naturâ conſequenti, & ſolam neceſſitatem ex ſuppoſitione conſequenti inducente, unde ſubditur: Dux ſunt enim neceſſitates, ſimplex una, veluti quòd neceſſe eſt omnes homines eſſe mortales: altera conditionis ſeu ex ſuppoſitione, ut ſi aliquis ambulare ſcias, eum ambulare neceſſe eſt. Quod enim quicquid novit, id eſſe aliter ac notum eſt nequit. . . . eodem igitur modo, ſi quid providentia præſens videt, id eſſe neceſſe eſt, tametsi nullam habeat naturâ neceſſitatem. . . . Finit igitur procul dubio cuncta, quæ futura Deus eſſe prænoſcit, ſed eorum quadam de libero proſciſcuntur arbitrio, quæ, quamvis eveniant, exiſtendo, tamen propriam naturam non amittunt, quia priùs, quam fierent, etiam non evenire potuiſſent. Inferes, ergo mutando propoſitum, Evacuabo providentiam, cum, quæ illa prænoſcit, forſe mutavero. Reſpondebo: propoſitum te quidem tuum poſſe deſſerere; ſed quoniam & te id poſſe, & an facias, quoque convertas, præſens providentia veritas intuetur, divinam te præſcientiam non poſſe vitare, ſicuti potentiis oculi eſſugere non poſſis intuitum, quamvis te in varias actiones libera voluntate convertas. . . . Omnia namque futura divinus præcurrit intuitus, & ad præſentiam propriæ cognitionis retorquet ac revocat. . . . quam comprehendendi omnia viſendique præſentiam non ex futura rerum proveniunt rerum, ſed ex propria Deus ſimplicitate ſortitus eſt. Hæc latiùs ex Boetio, ut agnoſcas eum agere de præſcientia, quæ eſt ſuppoſitio conſequens tantum exercitium libertatis, nec poteſt dare certitudinem prædeſtinationi, cum hæc ſit ſuppoſitio naturâ prior præſcientiâ diſtincta, & concomitans exercitium libertatis.

Eodem planè ſenſu loquitur S. Bonavent. ſup. poſtquam enim concludiſſet per prædeſtinationem non inferri neceſſitatem libero arbitrio, notat ad intelligentiam objectorum: Quod prædeſtinatione duo importat, & rationem præſcientiæ, & rationem cauſæ. Inquantum dicit rationem cauſæ, non neceſſariò ponit effectum, quia non eſt cauſa per neceſſitatem, ſed per voluntatem: & iterum non eſt tota cauſa, ſed cum alia contingente, ſcilicet cum libero arbitrio. . . . Præter rationem cauſæ importat rationem præſcientiæ; & præſcientia quidem totum

includit in cognitione, ſcilicet liberum arbitrium, & ejus cooperationem cum cauſa prima, quæ tamen quoque decretum cooperandi habet, ſuper quod cognitio eadem & veritatem & totam. Et præterea non eſt niſi veri, & etiam de vero contingente eſt inſallibilis. . . . Nullam imponit neceſſitatem conſequentis, ſed ſolùm conſequentiæ. His præterea tatis pergit: ex hoc patent tria prima objecta de neceſſitate inferendi, impoſſibilitate caſſandi, impoſſibilitate diſcordandi; hæc enim omnia dicuntur neceſſitatem conſequentiæ ſolùm, quia inſunt prædeſtinationi non per rationem cauſalitatis, ſed præcognitionem, ut eſt ſuppoſitio conſequens exercitium libertatis & ſcientia viſionis. Deinde ponit exemplum Boetii ſupra n. 61. Adde quod ead. diſtincta. 1. q. 2. in corp. ait: Cum prædeſtinatione ſignificat divinam eſſentiam, ut cauſam gratiæ & gloriæ, quantum eſt de ſe, non tantum importat ſcientiam, ſed etiam voluntatem & potentiam, ſed quoniam cauſa gratiæ & gloriæ & gloria attribuitur propriæ voluntati, ut eſt in eſſentia, ſed ſcientia diſponenti, & potentia exequenti; ideo eſt prædeſtinatione importet illa tria, tamen principaliter eſt in genere voluntatis. Et ideo ad prædeſtinationem prædeſtinatione per illa tria. Primo per illud, quod reſpicit potentiam in lib. de fide ad Petrum cap. 35. Prædeſtinatione eſt gratuitæ donationis præparatio. Secundo per illud, quod reſpicit ſcientiam in lib. de Dono perſe. c. 14. Prædeſtinatione eſt præſcientia beneficiorum Dei. Tercio per illud, quod reſpicit voluntatem & proprium, in lib. de Prædeſt. 88. Prædeſtinatione, inquit ibi; eſt propoſitum miſerendi. Sic ille.

Quæ ego: propoſitum iſtud certum eſt, & inſallibile? Nemo ambigit. Ex quo habetur certitudinem & inſallibilitatem, nunquid ex præſcientia? Minime, ſed à ſeipſo; quia eſt divina eſſentia, ut cauſa gratiæ & gloriæ, ſed eſt decretum divinum dandi gratiam & gloriæ, quod eſt æternum & immutabile, ſcilicet præſcientiâ, quæ ſequitur iplum decretum, & poteſt ſine quo nequit ſciri res quæpiam ut futura, prout patet ex alibi diſtis, & S. Bonavent. in 1. diſt. 38. q. 1. a. 2. ubi ait: præſcientia Dei non eſt, quin res ſint futura. Et quamvis neceſſariò inferat ſalutem, id eſt, inſallibiliter ſalus ſit futura, haud equidem neceſſariò, ſed libere; quia, ut ait D. Bonavent. ſup. a. 2. q. 1. in corp. Prædeſtinatione non eſt cauſa ſalutis, niſi includendo merita, & ita ſalvando liberum arbitrium. Hoc & nos dicimus.

Cæteroquin, ſi Deus potiùs ſequatur determinationem voluntatis creatæ, quam eam prædeſtinationem noſtræ converſionis, & perſeverantiæ, quod mihi incredibile eſt, inquit Felix ſup. Et ſequitur, prædeſtinationem non eſſe per electionem, nem gratiæ iplius prædeſtinantis contra D. Aug. lib. de Prædeſt. 88. c. 10. ubi explicans illud ad Rom. 4. v. 16. Idem ex fide, niſi ſecundum gratiam firma ſit promiſſio, ſic ait: Hoc non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit; promiſit enim, quod ipſe facturus fuerat, non quod homines &c. Vide totum locum Concl. Ergo ſecundum D. Aug. certitudo prædeſtinationis

tionis, quantum ad ejus eventum, non dependet a voluntate nostra, prævisa per scientiam mediam, ut vocant, sed a sola voluntate, seu decreto Dei.

65. Hinc Isidorus 2. Sentent. cap. 5. (ut refert Felix sup. n. 7.) Ipsa (prædestinatione) est causa, propter quam illi quædam & bene incipiunt, & bene finiunt. Et Sap. 5. v. 17. scriptum habes de prædestinatione: Ideo accipient regnum decoris, & diademata hæc de manu Domini; quoniam dexterâ suâ regas eos, & brachio sancto suo defendet illos. Ratio est (inquit Felix sup.) quia prædestinatione est causa efficiens eorum, quæ ad salutem prædestinati pertinent; nam est voluntas dandi gloriam, vel saltem gratiam: ergo non solum est causa certitudinis præscientiæ, sed causalitatis. Confirmatur; nam certitudo futurorum, quales sunt effectus prædestinationis, provenit a Decreto Dei efficaci, ut docet Scotus 1. dist. 39. & non a præscientia. Sic ille.

66. Hæc sunt verba Scoti loco cit. n. 23. Viso de contingentia rerum quantum ad existentiam, & hoc considerando respectu voluntatis divinæ; restat videre secundum principale, qualiter cum hoc sit certitudo scientiæ ejus. Hoc potest poni dupliciter, uno modo per hoc, quod intellectus divinus videt determinatam voluntatis divinæ, videlicet illud fore pro A. quia voluntas illa, illud determinat fore pro eo; scilicet enim illam voluntatem esse immutabilem, & non impedibilem. Nunquid immutabilem per præscientiam? Clarum est quod non. Tam voluntas (inquit Scotus ibidem n. 24. in fine) quam intellectus sunt immutabiles (scilicet ex se) & cum istis fiat contingentia objecti cogniti, quia voluntas hoc determinat contingenter vult. Vide quæ de his diximus Disp. 1. Sect. 5. Conclus. 5. & Sect. 6. Conclus. 2. ac alibi, non est opus hic ea repetere.

67. Hoc tantum dico, mihi incredibile esse, a quo voluntatis divinæ, qualis est prædestinatione seu decretum dandi gratiam & gloriam, tam certitudinem, seu potius certitudinem sui effectus, id est, salutis æternæ accipere a præscientia (quæ posterior est hujusmodi decreto) & non magis ab ipso decreto, quo Deus efficaciter vult prædestinato dare gloriam, ac per hoc media necessaria ad eam consequendam, quæ sunt gratiæ efficaces perseverandi usque in finem. Hanc autem efficaciam tam voluntatis Dei, quam mediorum gratiæ, independentem esse a consensu voluntatis nostræ, prævisio per scientiam mediam, satis ostensum est locis præallegatis, ubi de scientia media, quam tanquam inutilem rejecimus. At enim, dicit aliquis: undè probas illam efficaciam & virtutem mediorum gratiæ, quæ Deus præparavit electis? Patet (inquit Felix sup. n. 8.) ex Aug. de Grat. & libe. arbit. c. 17. ubi distinguit auxilium efficace ab inefficaci per majorem vel minorem virtutem, quam alibi appellat victtricem delectatione. Qui (inquit) vult facere Dei mandatum, & non potest (id est, non facit, ut alibi explicavi) jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam (id est, gratiam inefficacem) poterit autem (id est, faciet) cum magnam habuerit & robustam,

id est, charitatem sive gratiam efficacem.

Et lib. de Prædest. SS. cap. 5. ait: Deum discernere unum ab altero per hoc, quod aliquid donet isti, quod non donat illi. En verba S. Aug. Posset dicere homo inflatus adversus alterum, discernit me fides mea, justitia mea, & si quid aliud. Talibus occurrentibus cogitationibus bonus Doctor (intelligit Apostolus Paulum) Quid autem habes, inquit, quod non accepisti? A quo, nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donavit, quod donavi tibi? Et quod istud, nisi gratia efficace? Quia porro posset quis dicere, quod sine arbitrio voluntatis opus bonum non perficiatur, circa finem cap. inquit: Non quia credere, vel non credere, non est in arbitrio voluntatis humanæ; sed in electis præparatur voluntas a Domino, per donationem scilicet gratiæ efficaciæ, non tantum ad credendum, sed etiâ ad perseverandum, quæ reprobus negatur. Alioqui, si æqualia sint auxilia in reprobo, ac prædestinato, hic seipsum discerneret (inquit Felix sup.) a Felice non prædestinato, quod damnat Apost. 1. Cor. 4. v. 7. Quis enim te discernit? Et Concilia Africana sæpè. Ita hic Auctor.

Ex quo deducit: quod semper est majus donum in prædestinato, quam in reprobo; sicut, inquit, verum est, operantem habere majus donum, quam non operantem; quippe habet auxilium efficace, quod non habet non operans. De auxiliis sufficientibus contingere potest, ut cum minori auxilio quis operetur, & alter cum majori non operetur; nam negari non potest, Judam majora auxilia accepisse, quam plures, qui salvati sunt. Ita Felix. At, meo judicio, salvo meliori, parum feliciter: quippe minus auxilium, cum quo quis operatur, non jam sufficiens tantum, sed efficace est; majora autem auxilia sufficientia, cum quibus aliquis non operatur, manent intra limites auxilii sufficientis, & ita minus donum sunt; atque adeo quicumque salvatus fuit, majus aliquod auxilium accepit, quam Judas, qui damnatus est.

Cæterum quod aliquod auxilium sit efficace neutiquam habet a consensu voluntatis, sed a seipso; quia videlicet ita congruit naturalibus hominis dispositionibus, ut infallibiliter sit effectus securus, si accesserit decretum divinum, id est, si detur secundum propositum Dei, ut loquitur D. Aug. Porro illam congruitatem & proportionem cognoscit Deus non per scientiam mediam, sed per scientiam simplicis intelligentiæ, ut agendo de scientia media declaratum fuit.

Et impræsentiarum nota; aliud esse, gratiam aliquam esse efficientem; & aliud gratiam aliquam esse efficacem. Primum siquidem dubio procul habet aliquo modo a consensu voluntatis, quavis principaliter a seipso: nam voluntas non datur gratiæ, ut operetur; sed e converso gratia voluntati, tanquam causæ ex se insufficienti; gratia verò est causa ex se sufficiens; sed quia non datur ut principium totale actus in omni genere; sed ut sit solum principale principium tum morale, tum physicum adjuvans, & elevans liberum arbitrium ad seum cooperandum; hinc, ut patet, requirit aliud comprincipium, scilicet liberum arbitrium; quod, cum nihil supernaturalis boni possit per se solum agere, potest tamen

68.

Per quid Deus discernat unum ab altero, ex S. Aug.

69.

In prædestinato semper est majus donum quam in reprobo.

70.

Quod auxilium aliquod sit efficace, non habet a consensu voluntatis. A quo habeat.

71.

Aliud est gratiam esse efficientem, & aliud esse efficacem.

Gratia non datur ut principium totale.

ipsum tale bonum impedire, & divinæ gratiæ resistere; quod non provenit ex impotentia divinæ gratiæ, sed ex suavitatē & sapientia divinæ providentiæ, quæ ita movet suam creaturam, ut eam motum suum agere sinat. Huc facit illud S. Aug. l. 2. de actis cum Felice Manich. c. 4. Cum ergo dicit (Dominus) aut hoc facite aut illud facite, potestatem indicat non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest: sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala. Vide scilicet. 5. n. 55. Ex quo non sequitur, quod gratia accipiat suam efficaciam, aut etiam actualem efficientiam à libero arbitrio; quia hoc nihil confert illi, sed e contra, ut dixi: solum sequitur, gratiam non posse suum effectum producere sine libero arbitrio; quia hæc est natura talis principii, & talis actionis, scilicet liberæ & vitalis.

72.
Gratia non
pendet à
libero arbitrio.

Actio communis
gratiæ & voluntatis
pendet à
voluntate.
S. Aug.

Unde nec propriè dicitur, gratiam pendere à libero arbitrio in sua efficacitate, vel efficietia; quia dependentia dicit causalitatem vel subordinationem inferioris ad superius; sed propriè dicitur, gratiam requirere concomitantia liberi arbitrii, ut operetur. Sicut Deus non dependet à causa secunda, quæ vis ad effectum communem utriusque requiritur ejus cooperatione. Interim actio communis Dei, & creaturæ dependet etiam à creatura; pari quoque ratione actio communis gratiæ, & liberi arbitrii dependet à libero arbitrio, ut graphicè depinxit S. Aug. de Grat. & libe. arbit. c. 5. hisce verbis. Cum ergo haberet (Paulus) hoc meritum, malum, reddidit ei bonum pro malo; ideoque (alias, in eo quod) secutus adjunxit: Sed gratia Dei sum quod sum. Atque ut ostenderet & liberum arbitrium, ræce addidit: Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus omnibus illis laboravi. Hoc enim liberum arbitrium &c. Vide integrum locum Cor. clus. præced.

73.
Gratia ex se ipsa est
efficax. Probat
ex Script.
Felix.

Ubi clarè ostendit, gratiam ex se ipsa esse efficacem; ut autem efficiat requirere consortium voluntatis. Unde dicit Dominus Ezech. 36. v. 27. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiat, & operemini. Notetur (inquit Felix sup. n. 9.) ly Faciam, quod est à Deo tantum. Notetur etiam, dico ego, ly Ambuletis, custodiat, & operemini, quod est à libero arbitrio, non solo, sed cum gratia Dei.

74.
Probatio
ab inconve
nienti.

Igitur auxilium gratiæ ex se efficax est. Alioquin sequeretur (inquit Felix sup.) Deum non posse facere, quod velit: nam, datâ quæcumque gratiâ à Deo, posset voluntas non operari illud, ad quod gratia datur, & ita Deus non faceret quod veller; sed, datâ gratiâ, expectaret utrum voluntas velit vel nolit, quod est contra illud Prov. 21. v. 1. Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud. Sic ille. Respondent Adversarii, posse Deum multis auxiliis efficere, ut voluntas faciat, quod ipse vult.

75.
Impugna
tur.

Sed contra: ergo jam datur auxilium à se efficacem, id est, quod præbet vires efficacissimas voluntati, ut loquitur Aug. de Grat. & libe. arbit. c. 16. Nam & proprietas vocis hoc requirit. Dicitur siquidem medicamentum efficax non ex eo solum, quod actu medeatur, sed potius ex eo, quod

singularem vim habeat ad medendum: ergo si militer gratia efficacem erit, quæ per modum principii, aut quasi, habet peculiarem vim & efficaciam ad inducendam, seu persuadendam voluntatem humanam, ut consentiat. Atque adeo gratia, quæ dividitur in sufficientem, & efficacem, non est gratia cooperans, quæ est gratia per modum concursus, qualis non est gratia sufficientes, sed gratia operans sive præveniens, quæ tunc est efficax dicitur, quando tales vires præbet voluntati, ut infallibiliter consentiat per gratiâ cooperantem, sufficiens autem, quando tales vires præbet voluntati, quibus tamen posset consentire, haud equidem consentit per gratiam cooperantem. Unde gratia cooperans non est gratia efficacem, sed potius efficiens. Ita Aliqui explicant hanc controversiam.

Felix sup. putat, quod in sententia Adversariorum, quæ docet, auxilia non esse ex se efficacem, sed à consensu voluntatis creatæ; existimam, inquam, quod homo prædestinatus seipsum discernat, contra illud Apost. 1. Cor. 4. v. 7. Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Respondent Adversarii: quod homo non te discernit; nam, inquit, non agit naturali virtute, sed elevatâ per gratiam; & sic discretio operantis, à non operante à gratia fit.

Sed contra (inquit Felix sup.) quia licet, qui operatur, utatur auxilio; tamen supposito, quod uterque habeat æquale auxilium, in operante erit ille loquens gloriandi, & dicere poterit ego me discerni, quod est contra Paulum. Respondent Adversarii: quod homo non discernit se adæquate, sed inadæquate, juxta istud: Non ego, sed gratia Dei mecum, quod non est inconveniens.

Contra (inquit præfatus Auctor) saltem Deus solus non discernit, quod videtur esse contra illud D. Aug. de Grat. & libe. arbit. c. 5. Vt autem de celo vocaretur (Paulus) & tam magnâ & efficacissimâ vocatione converteretur, gratia Dei erat sola. Et quomodo sola; si conversio ejus fuit ita dependentia à consensu voluntatis Pauli, per scientiam mediam prævisor? Secundò, profectus idem Auctor, quia semper discretio refunditur in voluntatem. Patet: quia auxilium, quod de se non est efficax, est indifferens; ergo quod concurrat, non est tribuendum auxilio, sed voluntati totaliter, Paulus solum vult, quod voluntas sine auxilio non operabitur; non verò quod voluntas efficiat auxilium efficacem. Ita Felix.

Consensu, quia voluntas ab auxilio accipiat vim agendi supernaturaliter? Scio, quod æque, quoniam non ignoras can. 24. Concil. Arelat. explicantem illud Joan. 15. v. 5. Ego sum vitis & vos palmites, hisce verbis: Ita sunt in vite palmites, ut vitæ nihil conferant, sed inde accipiant unde vivant. Sic quippe vitis est in palmitibus, ut vitæ alimentum subministret eis, non sumat ab eis. Ergo (inquit Felix sup. n. 10.) voluntas non tribuit auxilio efficaciam supernaturalem; sed tota efficacitas est ab auxilio, & nihil recipit à nobis. Respondent Adversarii: voluntatem non dare auxilio efficaciam, ut causam influentem per se in illud; sed solum esse conditionem, sine qua non esset efficax.

Sed contra (inquit Francisc. sup.) quia voluntas nostra, adhuc ut conditio, non dat prædestinationi certitudinem; ergo neque auxilio efficaci. Antecedens patet; Consequentia probatur: quia, cum auxilia sint media, quibus prædestinatio comparatur, debent eodem modo habere efficaciam, ac prædestinatio ipsa; præsertim, quia sicut Deus prædestinavit ante visionem infallibiliter consequendam ad gratiam & auxilia. Rursus: quia aut hæc conditio ponitur ex parte effectus, aut ex parte causæ, quæ sit quæ applicatio auxilii ad operandum. Si ex parte effectus: ergo tota efficacia auxilii est per modum actus primi ante istam conditionem; & ita à solo Deo. Si ex parte causæ, aut voluntas applicat auxilium per vim propriam, quod nequit dici; aut per vires acceptas ab auxilio, & ita non erit conditio prævia, ut auxilium sit efficax, cum applicatio sit actus ipsius auxilii. Hæcenus Felix.

Si dixeris: cooperationem concomitantem voluntatis esse conditionem ad efficaciam auxilii, nam non datur auxilium efficax in actu primo. Contra primum (inquit idem Auctor) nam ut sic non est auxilium efficax sed effectus, de qua neque Scriptura, neque Aug. neque Latini Auctores loquuntur, dum agunt de auxilio efficaci, sed de virtute effectiva in actu primo. Secundum: quia ita non tribuitur auxilium major infallibiliter in agendo, quam quæ tribuitur à providentia humana humanis mediis, nempe concursus simultaneus, qui quando est, necessè est esse: ergo auxilium Dei efficax habet certitudinem in actu primo. Ita Felix.

Et mox subiungit: Denique probatur: nam si efficacia est à nobis: ergo præcipuum, quod est in justificatione, nobis tribuendum est, cum Deo solum auxilium sufficiens tribuatur, & efficax sit præcipuum, quod est contra Araus. 2. cap. 23. *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id faciunt, quod Deo displicet; quando autem ita (alii legunt, id) faciunt quod volunt, ut divina serviant voluntati, quamvis volentes agant, quod agunt; illorum tamen voluntas est, à quo præparatur & obicitur, quod volunt.* Alii legunt: Illius tamen voluntas est, à quo & præparatur, & jubetur, quod volunt. Quæ lectio magis deservit nostro proposito, & videtur magis congrua. Ibi autem tribuitur voluntati divinæ, quod præcipuum est in justificatione & bonis salutaribus.

Planè, inquit, sed hoc idèd, quia Deus, præter auxilium sufficiens, dat consilia, præcepta, inspirationes &c. Contra (inquit Francisc. sup.) quia omnia ista non excedunt limites auxilii sufficientis. Deinde: quia motus appetitus sensitivi, & ipse appetitus sunt à Deo, qui ineliniunt ad malum; & tamen non dicitur Deus præcipua causa, nec causa peccati; ergo neque præcipua causa justificationis, si ejus auxilium non est à se efficax. Sic ille.

Sed, dicit aliquis, disparitas est; quod illa consilia, inspirationes, præcepta &c. dantur à Deo ex proposito vel intentione convertendi,

seu salvandi hominem. Nunquid etiam dat motus appetitus sensitivi, & ipsum appetitum, ex proposito vel intentione peccati aut damnationis? Manifestum est, quod non, ut patet ex infra dicendis de reprobatione. Igitur hoc argumentum Felicis à simili, non convincit intentum. Et sanè, si auxilium ex se est efficax, videtur quod voluntas non poterit ei resistere, quod est contra Trident. sess. 6. can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit &c. anathema sit.*

Respondet Felix sup. n. 11. Tridentinum solum velle, auxilium efficax non tollere libertatem; nam optimè stat, auxilium esse ex se efficax, & non tollere libertatem. Eodem modo respondetur ad Concil. Senonense Decret. 15. contra Lutheranos: *Fidei auxilium non est tale, cui resisti non possit, quamvis fuerit Concilium Provinciale, nec à Papa approbatum.* Sic ille. Quomodo autem stet libertas cum auxilio ex se efficaci, ostendimus Conclus. 2. Tantum hic addo, quod lego apud D. Aug. lib. 2. contra Litteras Petilianas c. 84. *Si tibi (inquit Aug.) proponam questionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimittit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent.*

An ex illis paucis sint, qui invenerunt scientiam mediam, valde dubito. Ego ingenuè fateor, me ex istis non esse. Sed neque Augustinus usquam satis expressè declaravit hanc efficacitatem divinæ vocationis, ut infallibiliter hominem trahat ad liberè consentiendum; quia res est difficillima, & ab humanis sensibus remotissima, à quibus tamen intellectus noster pro hoc statu viæ dependet. Et forsitan ob hanc causam appellavit Aug. hanc vocationem Secretam, dicens lib. de Prædest. SS. cap. 8. *Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum; sed ubi & quomodo à Patre audierint hoc, & didicerint, non videmus.* Nimirum gratia ista secreta est, gratiam verò esse quis ambigat? Hercule & modus quo tribuitur latens est; & ratio, quæ distribuitur, & quibusdam datur, & non aliis, paucis, & non multis, profunda est, & soli Deo cognita.

At urgent Adversarii: eodem auxilio, quo unus convertitur, alter non convertitur: ergo non est à se efficax. Antecedens probatur ex Matth. 11. v. 21. *Va tibi Corozaim, va tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere poenitentiam egissent.* Ergo eisdem miraculis & prædicatione, quibus Judæi noluerunt poenitentiam agere, Tyrii & Sidonii poenitentiam egissent. Respondet Felix sup. cum Aug. de Dono persever. c. 9. & 14. & Ambr. in Lucam cap. 5. quod Antecedens est verum de auxiliis sufficientibus, quæ æqualia fuerunt in Ju-

88
An voluntas possit resistere auxilio efficaci.
Concil. Trident.

85.
Auxilium efficax non tollit libertatem.

Testimoniū D. Aug.

86.

Gratia efficax secreta est.
S. Aug.

87.
Arguitur, gratia non esse ex se efficacem.

Responsio Felicis.

dæis & in Tyriis; sed Tyriis data fuissent auxilia efficacia, quæ non data fuerant Judæis. Sic ille.

88. *Argumentū contrā.* Inferat aliquis: ergo injustè inerepantur Judæi; siquidem non erat in potestate eorum habere auxilium efficax; & si haberent, etiam egissent penitentiam, sicut Tyrii. Respondet Felix supra neg. Consequentiam: nam (inquit) Judæi magis resistebant auxiliis sufficientibus, & ponebant impedimenta gratiæ, utpote qui propriâ malitiâ obdurati erant, quæ impedimenta, & obduratio non fuisset in Tyriis. Ita hic Auctor. Ubi videtur supponere essentialē distinctionem inter auxilium sufficientē, & auxilium efficax; eū tamen communior sententia ea distinguit solo connotato, scilicet certi temporis, loci, dispositionis naturalis &c. ita ut idem auxilium entitativè nunc possit esse solum sufficientē, alio tempore efficax, respectu unius hominis efficax, respectu alterius hominis tantum sufficientē. Sed nunquid, quia hæc sententia communior, idē verior? Judicent alii doctiores, ad meum propositum non spectat: nam semper verum est, efficacitatem auxilii non dependere à consensu voluntatis creatæ.

89. *Objeçtio.* Dices: per auxilium sufficientē constituitur voluntas in potentia proxima ad operandum: ergo quod exeat in actum secundum, & fiat efficax, sit à voluntate: nam, si operatur, erit efficax; & si non operatur, erit tantum sufficientē. Respondet Felix sup. quod efficacia auxilii non consistit in reductione ad actum secundum; quia hæc est effectus efficacis; sed consistit in hoc, quod auxilium per modum actus primi sit talis virtutis, ut infallibiliter inferat operationem: unde ex operatione à posteriori colligitur auxilium esse efficax; non verò est efficax ab operatione. Sic ille, conformiter ad ea, quæ sup. ex eo retulimus.

90. *An solutio sit conformis D. Aug.* Nunquid etiam conformiter ad mentem S. Augustini? Intendite. Ceteri (id est, non prædestinati) ubi (interrogat S. Doctor) nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur? Vbi Tyrii relictī sunt & Sidonii, qui etiam credere poterunt (id est, credidissent) si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam, ut crederent (non ait, ut possent credere) non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant; & tamen, si Dei altiore iudicio à perditionis massa non sunt gratia prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quæ possent credere (id est, crederent) si audirent utique talia, vel viderent.

91. *Cur Iudæi non potuerint credere in Christū.* In eadem perditionis massa relictī sunt etiam Iudæi, qui non potuerunt (hoc est, noluerunt) credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit Evangelium (Joan. 12. v. 37. & seqq.) dicens: Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt (tamen potuissent credere, si voluissent)

in eum, ut sermo Isaia Propheta impleatur, quem dixit: Domine quis credidit, auditui nostri, & brachium Domini cui revelatum est? Propterea non poterant credere (id est, nolabant credere) quia iterum dixit Isaïas: Excacavit oculos eorum, & induravit cor eorum, &c. Non erant ergo (inquit Aug.) sic excacati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum & Sidoniorum, quoniam credidissent (non tantum potuissent credere) si qualia viderunt isti, signa vidissent.

Et post pauca: Hæc (inquit) prædestinatio, quæ satis apertè etiam verbis Evangelicis explicatur, non prohibuit Dominum, & propter incipientem dicere, quod paulo ante commemoravi: Crediti in Deum, & in me credite (Joan. 14. v. 1.) & propter perseverandum: Oportet semper orare, & non deficere (Luc. 18. v. 1.) Audiant enim hæc, & faciunt, quibus datum est; non autem faciunt (quævis possunt facere) sive audiant, sive non audiant, quibus non datum est. Huculque S. Aug. de Dono persever. c. 14. Ubi totam efficaciam gratiæ videtur ultimè retinere in decretum prædestinationis, sive in voluntatem, quæ voluit Deus ab æterno, ut talis converteretur ad prædicationem fidei, non autem aliter.

Si verò à me quæritur: an ergo dici nequeat, quod voluntas aliquid ex se operetur, quando consentit gratiæ excitanti? Dico cum Felice sup. n. 12. quod si ly. Ex se idem sit, quod à principio intrinseco liberè se determinante, verum est, ex se operari: si autem ly. Ex se idem est, ac operari non ab alio priori agente, est falsum: nam Patres & Concilia, imò & Paulus 1. Cor. 15. dicunt Deum esse primum agentem: Abundantiis illis omnibus laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum. v. 10. Rogas iterum: quomodo fiet, determinari ab alio, cum indifferentiā & libertate? Respondet præfatus Auctor, quod determinatio Dei non opponitur indifferentiæ; sed potius illam astringit; nam sola opponitur fallibilitati, & indeterminatiōni, inefficaciæ; & ita non tollit libertatem: nam Deus determinat fortiter, id est, infallibiliter, & suaviter, ita ut voluntas liberè operetur, illam tollit indeterminatiōnem. Sic ille.

Sed hoc est, quod quæritur: quomodo possit tollere indeterminatiōnem, manente libertate, cum illa determinatio non sit in potestate liberi arbitrii. Quæritur, inquam, quomodo determinet voluntatem ad unam partem, si eam dimittit, ut quod voluerit eligat. Res sanctæ difficillima, quam pauci, ut sup. dixi ex D. Aug. suo intellectu penetrare valent. An inter istos paucos computandus sit noster Felix, relinquendo aliis iudicare ex iis, quæ jam ex ipso relata sunt. Quæro ego: utrum prædestinatio hominum facta fuerit ad restaurandam ruinam Angelorum? Responsio erit

CONCLUSIO IV.

Prædestinatio hominum facta est ante prævisionem peccati originalis, & non fuit facta ad restaurandam Angelorum ruinam.

Ita colligitur ex Scoto 3. dist. 7. q. 3. n. 4. in hoc: Potest, inquit, dici, quod prius naturam, quam aliquid prævidetur circa peccatorem, sive de peccato sive de pena, Deus prælegit ad illam curiam coelestem omnes, quos voluit habere, Angelos & homines, in certis & determinatis gradibus, & nullus est prædestinatus tantum, quia alius prævisus est casurus, si nullum oporteat gaudere de lapsu alterius. Probat per hoc, inquit Felix de Prædest. c. 2. diff. 6. n. 2. ubi docet nostram Conclusionem, ex D. Ansel. lib. 1. Cur Deus homo cap. 18. dicente: Ideo homines futuri fuisse beatos, etiam si Angeli non peccassent, quia alias esset hominibus gaudendum, quod Angeli peccaverint. Et addit: Nullam esse in celo animam, quæ sibi persuadeat sine peccato alterius non fuisse gloria fructuram. Ita legit Franciscus. Ex qua impressione nescio, saltem in eo libro, quo ego utor, illa verba non reperiuntur. Quæ ergo?

Sed & si perfectio mundana creatura non tantum est intelligenda in numero individuorum, quantum in numero naturarum, necesse est, humanam naturam aut ad complementum ejusdem perfectionis esse factam, aut illi superabundare, quod de minimi vermiculi natura dicere non audemus. Quare pro seipsa ibi facta est, & non solum pro restaurandis individuis alterius nature. Vnde palam est, quia, si etiam Angelus nullus perisset, homines tamen in celesti civitate suum locum habuissent. Et post pauca sic ait: Si quis dixerit, quia tantum latibunt electi homines de Angelorum perditione, quantum gaudent de sua assumptione, quoniam absque dubio hoc non esset, nisi illa fuisset, quomodo poterunt ab hac perversa gratulatione defendi? Aut quomodo dicemus, Angelos, qui ceciderunt, in hominibus restauratos, si illi sine hoc vitio permansuri erant, si non cecidissent, id est, sine gratulatione de casu aliorum; isti vero sine illo esse non poterunt: imò qualiter cum hoc vitio beati esse debemus? Deinde: quæ audaciâ dicemus, Deum non velle, aut non potuisse hanc restaurationem sine hoc vitio facere? Igitur secundum D. Ansel. prædestinatio hominum non fuit facta ad restaurandam Angelorum ruinam, quæ est ultima pars Conclusionis.

Neque contradicit D. Bernardus Serm. 1. de Adventu, ibi: Propter hoc enim (loquitur de peccato Angelorum) & ipse (Deus) creavit homines ab initio, qui supplerent locum illum (ruentium Angelorum) & ruinas Ierusalem restaurarent. Ergo, secundum ipsum, prædestinatio hominum facta fuit ad restaurandam ruinam Angelorum. Respondet D. Bernardus loqui, non de prædestinatione hominum in intentione (de qua nos hic agimus) sed de prædestinatione in executione. Nam (inquit Felix sup. n. 3.) postquam Deus decreverat dare hominibus gloriam, & ad

consecutionem illius gratiam, decrevit permittere peccata omnia Angelorum; & tunc certo sciens, vacuas esse relinquendas multas Angelorum sedes, ordinavit, quod per homines, quos jam prædestinaverat, impleverentur.

Consimiliter intellige D. August. Enchir. c. 29. quod sic incipit: Placuit itaque Universitatis creatori, atque moderatori, ut, quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat, ea, quæ perierat, in perpetua perditione remaneret: quæ autem cum Deo, illa deserente, perseveraret, de sua certissime cognita semper futura felicitate, secunda gauderet. Alia vero creatura rationalis, quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis & originalibus & propriis tota perierat, ex ejus parte reparata, quod Angelica societati ruina illa diabolica minuerat, suppleret.

Quod autem Aug. sic possit & verò debeat intelligi, patet ex his, quæ immediate subjungit: Hoc enim (inquit) promissum est resurgentibus sanctis, quod erunt æquales Angelis Dei. Itaque superna illa Hierusalem mater nostra civitas Dei, nulla civium suorum numerositate fraudabitur, sed ubi ore etiam copiosa fortasse regnabit. Ergo fortasse plures homines sunt electi ad gloriam, quam ceciderint Angeli. Neque enim (ut ibidem ait Aug.) numerum aut sanctorum hominum, aut immundorum demonum novimus. . . . Sed illorum civium numerus, sive qui est, sive qui futurus est, in contemplatione est ejus artificis, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt, atque in mensura, & numero, & pondere cuncta disponit.

Si numerus sanctorum hominum fortè major est, quàm immundorum demonum, quis non videt, prædestinationem hominum non esse factam, ex mente D. Aug. ad restaurandam ruinam Angelorum, saltem in intentione? Sic enim numerus sanctorum hominum non major esse deberet, quàm immundorum demonum, ut patet. Ergo hæc sententia non repugnat D. Augustino. Nunquid Scripturæ sacræ? Planè, inquit Aliqui illo Psal. 109. v. 6: Implebit ruinas, scilicet Christus, electos provehendo ad sedes ruentium Angelorum. Et ex Paulo ad Ephes. 1. v. 10. In dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso. Ergo Deus, per Christum reparando genus humanum, instauravit numerum Angelorum, qui ceciderunt.

Indubie instauravit, ordinando, prout sup. dixi, ut per homines, quos jam prædestinaverat, sedes illorum Angelorum impleverentur. Vel dic, omnia esse in Christo instaurata, in primis, quia Christus suâ passione reparando genus humanum electos suos perduxit ad regnum eorum, unde reprobi Angeli ceciderunt, ut exponit D. Aug. Enchir. 61. & 62. Secundò: quia adduxit pacem & concordiam inter genus humanum & sanctos Angelos, qui, seclusa reparatione generis humani per Christum facta, mansissent inimici generis humani, sicut parent inimici reprobos Angelorum. Ita interpretatur Aug. sup. c. 63. & 64. Denique: si textum Græcū sequamur, instaurare idem ibi

98.
Eodem modo
exponitur
D. August.

99.
Fortè plures
homines
sunt electi,
quàm ceciderint Ang.

100.
Conclusio
nostra non
repugnat D.
Aug.

Probatur
repugnare
Scripturæ.

101.
Exponitur
Scripturæ.
Primò.
S. Aug.

Secundò.

Tertiò.

est, quod recapitulare, ut sensus sit, eatenus esse factam in Christo omnium recapitulationem; quia & Christo ut capiti omnia subiecit. Pater, omniaque sub hoc capite univit, juxta illud Psal. 8. v. 8. *Omnia subieciisti sub pedibus ejus.* Et in Christo, veluti quādam summā omnium mysteriorum, impletae sunt variae illae figurae, quae ipsam praenuntiabant, velut interpretantur Chrysostomus & alii SS. Patres.

D. Chryf.

102.

*Quaeritur
ne Christus
impleverit
ruinas.*

Smiling.

Igitur hoc testimonium Scripturae non est ad propositum, ut bene notavit Smiling Sup. n. 778. ubi dicit nobiscum, homines nequam esse electos occasionaliter ratione lapsus Angelorum. Et ad primam Scripturam, in contrarium Sup. adductam, respondet; Christum implevisse ruinas, est idem, ac perfecisse & auxisse ruinas, victoriam de Gentibus reportando, & regnum diaboli in ruinam adducendo, suoque spiritali imperio colla Gentium subdendo, non obstante diaboli & ministrorum ejus resistentia & persecutione: unde praedictis verbis Propheta praemisit: *Judicabit in nationibus;* & praedictis verbis subdidit: *Conquassabit capita in terra multorum;* & *De torrente in via bibet,* propterea exaltabit caput, id est, spiritaliter dominabitur. Sic ille. Igitur Propheta non loquitur ibi de ruina Angelorum, & ejus implementatione; ac per hoc neque ista Scriptura est ad propositum. Atque haec satis de secunda parte Conclusionis.

103.

*Prædestina-
tio ad glo-
riam, &
gratia ha-
bituale fa-
cta est ante
prævisionem
peccati.*

Smiling.

Quantum ad primam, docet Smiling Sup. n. 780. prædestinationem hominum & Angelorum ad gloriam & gratiam habituales factam esse ante voluntatem permissivam, & praescientiam lapsus humani vel Angelici. Dicit significanter: *Gratiam habituales;* quia (inquit) ad quaedam gratiae auxilia, & quaedam bonorum operum merita, non potuerunt homines prædestinari, nisi supposita praescientia lapsus Angelici vel humani.

104.

*Aliqua au-
xilium gratiae
praesuppo-
nunt pecca-
tum. Quae
illa.*

Rogas, quae sint illa auxilia? Ea enumerat idem Auctor n. 776. dicens: Tale auxilium est, quod datur ad dolendum ex motivo supernaturali de lapsu hominum, & Angelorum, vel ad considerandum atque admirandum in permissione illius lapsus insensibile judicium sapientiae Dei, & ad contemplandam in illo lapsu connaturalem insufficientiam creaturae intellectualis, adeoque indigentiam gratiae ad vitandum peccatum, & auxilium ad considerandam & laudandam Dei justitiam in puniendo peccato Angelorum, & hominum; bonitatem vero praeservantem quosdam Angelos, ne caderent, hominem vero post lapsum reparantem per Christum redemptorem; adeoque omnia auxilia ad illos actus, quibus homines versantur circa generis humani redemptionem, illam contemplando, & pro ea Deo gratias referendo: nam sicut talis contemplatio, & talis affectio in suo objecto adequato essentialiter involvit peccatum, ut actus positum; ita etiam auxilium gratiae (quod non est nisi bonus instinctus intellectus, vel bona motio voluntatis) idem peccatum ut actus positum involvit in suo

objecto adequato, ut patet. Idemque est de auxilio ad penitendum de proprio peccato personali, & ad dolendum de alieno, & ad volendum in se vel alio emendare peccatum, ad agendum Deo gratias pro remissione peccati &c. Item de auxiliis ad utendum remediis peccati, ut Sacramentis, Indulgentiis, satisfactionibus &c. Haec ergo auxilia, essentialiter supponunt peccata, non potuerunt prædestinari, nisi supposita praevisione peccati. Hucque Theod. Et merito.

Intellige itaque Conclusionem de prædestinatione non quoad omnes omnino effectus, sed principales, scilicet gloriam, & gratiam habituales, eaque auxilia gratiae, quae in suo conceptu adequato non involvunt essentialiter peccatum. Quo supposito, probatur Conclusio ex Felice Sup. n. 2. Deus prius cognovit justitiam originalem in statu innocentiae, & alia dona supernaturalia, quam peccatum originale: sed talia dona danda erant propter gloriam, eis prius volitam: ergo prius fuit praedestinatio, quam praevisione peccati, nam ordinatio volens, prius vult finem, quam media, quae sunt dona supernaturalia, quibus male usus Adamus peccavit.

Confirmatur 1. quia, cum gloria sit maximum & ultimum bonum creaturae intellectus, & Deo proximius, est primum objectum ad quod terminata est divina voluntas, priusquam ad quancumque permissionem peccati. Confirmatur 2. nam praedestinatio Angelorum, & hominum, facta est in eodem ligno naturae, cum nulla sit propter aliam; sed praedestinatio Angelorum fuit ante peccatum Angelorum, & Adami: ergo & nostra. Minor probatur; nam prius voluit illis gratiam, quam occasione merendi, vel demerendi; sed ante gratiam voluit gloriam; ergo praedestinatio fuit ante praevisionem peccati. Haec Franciscus. Quae latius deducta vide apud Theod. Sup. n. 780. & seq.

Ubi praeterea notat, nullam esse essentialis connexionem inter peccatum, & gloriam, & gratiam habituales, five hominum, five Angelorum, ob quam debeat peccatum supponi gratiae habituali, & gloriae illorum; sed potius e converso, cum gratia habitualis, & gloria sit finis ultimo propinquior. Univerſaliter autem inquit Scotus 1. Dist. 7. q. 3. s. *sed hic sunt duo dubia, n. 3.) ordinare volens, prius videtur velle hoc, quod est finis propinquior.* Et quis ambigit Deum ordinare velle? Ergo prius voluit gratiam & gloriam, quam permissionem peccati. Nonne reprobi Angeli, & Adam peccato amiserunt gratiam habituales, in qua conditi erant? Nemo dubitat. Quin imò gratiae illius excellentia occasionem eis dedit peccandi per superbiam: ergo ante voluntatem permissivam, & praescientiam lapsus ipsorum, Deus decrevit, ut haberent gratiam habituales; & per consequens, juxta jam dicta, decrevit, ut Angeli electi, & Adam (supposito ex Cap. 10. Sup. quod sit salvatus) haberent gloriam; ad cuius

executionem deinde vult permittere peccati.

Dicamus ergo cum Smil. Sup. n. 776. omnes homines & Angelos esse simul electos ad gloriam in eodem rationis signo, & simul ad gratiam habitalem in alio rationis signo, prout Scoto, in principio Conclus. citatur, satis indicat, quatenus inter prælectionem omnium hominum & Angelorum ad celestem curiam (ut loquitur) nullum ordinem ponit. Idem colligitur ex D. Aug. locis inferius allegandis, ubi de Angelis, & hominibus, quoad prædestinationis negotium, eandem esse rationem significat, nec inter eos ordinem assignat.

Sed enim, opponit quispiam; Aug. ubique dicit electionem hominum esse factam ex massa perita & damnata, ut patebit infra, ubi de causa prædicationis. Sufficiat hic, quod ait lib. de Corrept. & Grat. c. 7. Qui vero perseveraverint usque in finem, illi salvati erunt. procul dubio nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in isto numero (filiorum Dei) computandi sunt: non enim sunt a massa illa perditionis præscientia Dei & prædestinatione discreti, & illi nec secundum propositum vocati. Ergo prædestinatio hominum supponit massam perditionis, atque adeo peccatum originale; per quod massa hominum perita fuit. Respondet Smil. sup. n. 557. loqui subinde Aug. de electionis causa secundum ordinem executionis, frequentius tamen secundum ordinem intentionis, etiam quando ait, per electionem segregari hominem a massa damnata, & quando comparationem instituit inter electionem & reprobationem: & idem est de Patribus, Augustini doctrinam secutus. Tunc autem (inquit ille) loquuntur de massa damnata materialiter, non formaliter, seu de massa non quatenus damnata, sed de massa, quæ damnata est. Item loquuntur de reprobatione negativa, quam vocant iustum iudicium, non ratione sui, sed ratione subiecti, ad quod terminatur.

Sensus igitur est; prædestinationem esse segregationem a massa, quæ licet pro illo signo rationis, quo aliqui eliguntur ad vitam æternam, alii vero negliguntur, nondum intelligatur damnata; tamen pro omni signo rei & durationis est massa damnata in præscientia Dei: reprobationem vero oppositam huic prædestinationi, adeoque reprobationem negativam esse iustum iudicium; quia licet pro dicto signo rationis nondum intelligantur reprobi esse subiectum iudicii (quia nondum præseitur peccatum) tamen in omni signo rei & durationis ab æterno tales sunt in præscientia Dei. Sic ille. Et addit: Quæ responsio fortè probabilis est, licet mihi minus ardeat, eò quod nonnulli violenter interpretari videatur modum loquendi D. Augustini.

Unde n. 558. aliter responderet, Augustinum, quando ait, per electionem segregari quempiam a massa damnata, intelligendum esse de massa damnata formaliter, & de electione illa, quæ ordine intentionis præcedit præscientiam peccati: at voculam, Per, non designare causam segregationis proximam, sed remotam & ra-

dicalem. Itaque sensus est; a prælectione ad vitam æternam, tamquam omnium aliorum salutarium bonorum radice, provenire, quod, permixta, & prævisa humani generis ruina & massa damnata, sic præelecti ab illa eruantur; tamen hæc ruina, massaque damnata nondum intelligatur prævisa pro illo primo signo prælectionis ad gloriam: nam talis prælectio non tantum est causa illius boni, quod pro illo signo præparatur, sed etiam aliorum bonorum, quæ pro aliis signis per alia decreta disponuntur; nam est causa voluntatis executivæ, & ea mediante, est causa executionis omnium mediocorum, quibus electi ad finem prædestinatum perducuntur, ex quibus unum est segregatio a massa damnata. Ita Smiling.

Et probat à simili dicens: Hoc modo loquendi rectè diceretur in rebus humanis, per adoptionem liberari filium adoptivum à debito perdendæ hereditatis, quod post adoptionem incurrat ob delictum in patrem adoptantem admissum, si affectus adoptantis sit rancus, ut nullam ob causam illum velit pater exheredare, sed absolute intendat filium adoptatum ad hereditatem perducere; nam pater ex tali affectu impelletur, ut si post adoptionem filius delinquat, ei delictum ignoscat. Sic ergo, etiam in omni proprietate verborum, dicitur quis per prælectionem ad hereditatem æternam liberari segregarique a massa damnata, etiam si talis massa nondum prævisa intelligatur pro signo prælectionis ad hereditatem æternam. Hactenus, Theodorus. Sat bene pro explicatione D. Aug. & aliorum Patrum, qui possent videri contradicere nostræ Conclusioni, sed reverà non contradicunt.

Obijciunt præterea Adversarii: Si Adam non peccasset, non fuissent tot homines nati, quot nati sunt Adamo peccante: nam soli prædestinati fuissent nati, ut statim audiemus ex Scoto: sed in natura lapsa multi prædestinati procreantur ex patribus reprobis; ergo ad eorum prædestinationem præcessit permixtio peccati parentum. Respondeo ex Scoto 2. Dist. 20. q. 2. n. 2. prius hominem prædestinari, quam Deus determinet, ut ex tali patre nascatur. Hæc sunt verba Doct. Subtilis d. loco: Dico, quod soli nunc electi fuissent in statu innocentie nati. Ratio huius est; quia omnis ordinatè volens, post volitionem finis immediatè vult illud, quod est immediatius vel proximius finis: Deus est volens ordinatè: ergo primo vult seipsum, vel bonitatem suam tamquam finem. Secundo vult bonum creaturæ rationalis ultimum, quod est communicatio creaturæ, sive communicatio beatifica suæ bonitatis creaturæ tali: & postea vult gratiam, quæ ordinatur ad beatitudinem huius, vel ad fruitionem ejus: & posteriùs vult istam beatum vel beatificabilem esse nasciturum à tali parente, quod esse supponitur gratia.

Cum ergo (ut dictum est) prius sint beatitudini determinati, quam quod nascantur ex talibus parentibus, per quoscumque parentes nascantur, ex quo habent rationem posterioris, huiusmodi parentes non poterunt variare determinatos beatificandos à voluntate.

112. Probatur à simili.

Concluditur.

113. Obijciunt ex ratione.

Solvitur obijectio ex Scoto.

Soli nunc electi fuissent in statu innocentie.

114. Prius est aliquem prædestinari, quam nasci.

Alia solutio.

115.

Alia obiectio ex ratione.

S. Greg.

Solutio ex Smiling.

116.

Obiectio veritas.

Responsio Smiling.

117.

tate divina, quin iidem in numero nascantur. Ergo, secundum Scotum, ad prædestinationem, etiam eorum, qui procreantur ex patribus reprobis, non præcessit permisso peccati parentum. Alii responderi possent, executionem prædestinationis aliquorum supponere peccatum aliorum; v.g. executionem prædestinationis Mathiæ, lapsum Judæ. Attamen, sicut Deus prius decrevit talem fore, quam taliter nasci; sic iidem prius decrevit, talem fore beatum, quam taliter nasci, & prius decrevit in intentione Mathiam salvare, quam permittere peccatum Judæ.

Ex quo confestim solvitur sequens argumentum: Occasione lapsus Adæ minor est numerus hominum salvandorum, quam fuisset Adam non peccans; imò tunc omnes fuissent salvati (ut mox audivimus ex Scoto, et huc sententia Greg. 4. Moral. in fine; dicentis: Si parentem primum nulla peccati rubigo corripisset, nequaquam ex se filios gehennæ generaret; sed illi, qui nunc per Redemptorem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur) modò autem pauci salvantur, teste æternâ Veritate Matth. 7. v. 14. Quam angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam. Item cap. 20. v. 16. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Ad hoc, inquam, argumentum optimè responderet Smiling Sup. n. 782. solum probare, quòd paucitas salvandorum per peccati Adæ permissionem sit mandata executioni, ita ut illius occasione peccati, quòd omnes infecerit Adæ filios (præter Christum, & ejus Matrem immaculatam) & salutis consequendæ difficultatem induxit, modò pauci salutem suam operentur usque in finem; qui tamen iidem, & non plures fuissent illam operaturi & salvandi, si Adam non peccasset, quantum est ex vi præsentis decreti prædestinationis, ut rectè Scotus 2. Dist. 20. q. 2. Undè & illi soli, qui nunc salvantur tunc nati fuissent, ut ibidem cum Gregor. asserit: non autem probat argumentum, quòd paucitas salvandorum sit præfinita & prædestinata post prævisionem lapsus Adæ; ut enim sæpè diximus, quòd est prius in executione potest esse posterius in intentione. Ita Theod.

Cui si obieciat: major gratia datur electis post Adæ lapsum, quam fuisset data, si ille non peccasset, juxta D. Aug. lib. de Corr. & Grat. cap. 11. ubi gratiam hominis lapsi potentior appellat, ut alibi vidimus; gratiam verò hominis integri lætioris: igitur numerum salvandorum, & quantitatem gratiæ, illis conferendam, Deus non prædestinavit ante prævisum Adæ lapsum, & consequenter non ante lapsum Angelorum, ex quo ille occasionem habuit. Respondet ibidem: concedendo, ea auxilia potentiora, quæ nunc requiruntur ad superandam rebellionem depravatæ naturæ (de quibus auxiliis loquitur Aug.) fuisse decreta post prævisum peccatum Adæ, ut supra dictum est de aliis auxiliis, quæ peccatum, ut actu positum, essentialiter respiciunt. Sic ille.

Hoc autem non est contra nostram Conclu-

sionem, in qua agimus, ut Sup. notavi, de prædestinatione pro principali tantum parte, scilicet ad gloriam & gratiam habitalem, ad gratias actuales, quæ in suo conceptu adæquato non involvunt essentialiter peccatum. Potest D. Aug. ibi loquitur de gratiis actualibus particularibus, quibus fit, ut homines non solum possint facere, sed et ipsa, non obstante concupiscentiâ, faciant ea, quæ sunt necessaria ad salutem. Enimvero tractat de gratia hominis integri, per quam non perseveravit; ac per hoc de sufficienti tantum; non autem dicit gratiam, quâ homo perseverasset in finem usque, fuisse minus potentem. Atque ut hoc etiam dixisset, patet ex dictis, quòd equidem non opponatur nostræ Conclusioni.

Sed hic nondum finis obiectio. Deus (inquiunt Adversarii) elegit homines ad determinatum gradum gloriæ; sed talis gradus lapsus ponit scientiam peccati: ergo prædestinatio facta est post prævisionem peccati. Minor probatur: nam occasione peccati gloria aucta est ex illo Joan. 10. v. 10. Ego veni ut vitam habeat, & abundantius habeant. Respondet Felix Sup. negando Minorem. Ad probationem dicit, quòd vel ly Abundantius, non significat, quòd maiorem gloriam essentialiter recipient prædestinati per adventum Christi in carne passibili, quam recipient, si venisset in carne impassibili, si Adam non peccasset, sed quòd eadem gloria daretur alio titulo, nempe per operam passionis. Vel ly Abundantius intelligitur de gloria accidentalî, quæ prædestinatis accrescit, et quòd habeant tantum ac talem Redemptor. Sic ille.

Urgent Adversarii: Si Adam non peccasset, prædestinati uberiorem gratiam consecuti fuissent, quam modò; nam tunc nati fuissent in maiori gratia, fuissent immortales, & eximia opera fecissent; modò multi decedunt suscepto Baptismate, & sine augmento gratiæ: ergo si ad maiorem gloriam sint prædestinati, id est, quia prædestinatio est post prævisum peccatum. Respondetur ex Felice Sup. n. 4. Cum decreverit Dei sit immutabile, si homines fuissent nati in statu innocentie, si in statu naturæ lapsæ, ut modò, solum gradum gloriæ à Deo ipsa determinatum per prædestinationem acciperent. Undè parvulum, qui modò statim post Baptismum moritur, transiit ad beatitudinem, priusquam ulteriorem gloriam promeritus fuisset.

Denique obieciunt: quòd Christus fuit prædestinatus ante Angelos & homines, cum sit omnium Caput, sed prædestinatio Christi fuit post peccatum, ut patet ex Scriptura Matth. 18. v. 11. Venit enim filius hominis salvare, quod perierat. Ergo homines prædestinati sunt post peccatum. Respondet Felix Sup. & bene, negando Minorem. Nam (inquit) Scriptura & Patres loquuntur de adventu Christi in carne passibili, qui non fuit prædestinatus ante Angelos & homines; sed post prævisum lapsum hominum. Alia fuit prædestinatio Christi; quâ Deus ordinavit seu decrevit in primo instanti Filium incarnandum

incarnandum in hac natura humana, non tamē
eum modo passibilitatis aut impassibilitatis, &
illa fuit facta ante prævium peccatum Adā, ut
in terminis docet Scotus, 3. dist. 7. n. 3. ibi.

Universiter ordinatē volens prius videtur velle
hoc, quod est finis propinquus, & ita sicut prius vult
gloriam alicui, quam gratiam; ita etiam inter præde-
stinatos, quibus vult gloriam ordinatē, prius videtur
velle gloriam illi, quem vult esse proximum finem, &
ita huic animæ Christi vult gloriam prius, quam ali-
cui alteri velle gloriam; & prius cuilibet alteri vult
gratiam & gloriam, quam praveat opposita istorum
habituum, scilicet gratia & gloria, scilicet peccatum
& damnationem. Ergo à primo, prius vult anima
Christi gloriam, quam praveat, Adam casurum.
Omnes autem auctoritates possunt exponi sic, scilicet
quod Christus non venisset ut redemptor, nisi homo
credidisset, neque foret ut passibilis. Ita Doct. Sub-
tilis. Sed hæc controversia, utrum Christus ve-
nisset, si homo non peccasset, spectat ad Tract.
de Incarnatione, & idē eam pertranseo. Ad al-
lii prope, & quæro; an objectum proximum
prædestinationis sit natura ut sic, vel personata,
& dico:

CONCLUSIO V.

Natura rationalis ut sic est objectū
proximum prædestinationis.

Videtur esse sententia Scoti 3. dist. 7.
q. 3. n. 2. ubi docet humanam naturam
Christi fuisse prædestinatam ad gloriam, & uni-
onem hypostaticam: Cum (inquit) prædestinatio
sit præordinatio alicuius ad gloriam principaliter, &
ad alia in ordine ad gloriam, & huic natura huma-
na in Christo præordinata sit gloria, & unio ista in
Verbo in ordine ad gloriam; quia non tanta gloria
fuisse sibi conferenda, si non esset unita sicut modo
vultur est &c. Et si dicas: prædestinatio primò re-
spicit personam, & ita oportet hic primò invenire ali-
quam personam, cui Deus primò prædestinavit glori-
am, & istam unionem in ordine ad gloriam; nulli au-
tem personæ prædestinavit illam unionem, non perso-
næ Verbi ut Verbi. Patet. Nec illi personæ ut subsistenti
in natura humana, quia includitur ista unio.

Respondet: quod potest negari ista propositio, quod
prædestinatio respicit solam personam: sicut enim
Deus potest agere bonum aliud à se diligere, non tan-
tū suppositum, sed naturam; ita etiam potest alii à
se præordinare vel præoptare bonum illi conveniens. Et
ita potest natura huic præoptare bonū illi conveniens;
& ita potest illi præoptare unionem istam in ordine
ad gloriam, & non personam. Verum est tamen, quod
in omnibus aliis ab isto prædestinatio respicit perso-
nam; quia in nullo alio præordinavit Deus bonum
naturæ, nisi præordinando bonum personæ. Et ratio
huius est; quia nulla natura prædestinabilis est non
personata personalitate creata, nisi ista; & ideo nec
sic potest præordinari sibi bonum, nisi isti.

Ergo, secundum Scotum, natura humana in
Christo, seclusa personalitate, fuit objectum
proximum prædestinationis non tantum ad u-

Tonus II.

nionem hypostaticam, sed etiam ad gloriam; si seclusa
quidquid Aliqui reclamant, maxime de præde-
stinatione ad gloriam; sed sine solido fundamen-
to, ut patebit ex dicendis. Enimvero, ut ait Fel-
ix de Prædest. cap. 3. diff. 1. n. 3. gratia & glori-
a sunt habitus & actus voluntatis; sed tales ac-
tus & habitus solum dependent à suis potentiis:
ergo si tales potentie, & natura, à qua diman-
nant, darentur separatæ à personalitate poterit
Deus talem naturam ad tales actus vel habitus
prædestinare. Et sanè anima rationalis, à perso-
nalitate separata, nonne fruitur Deo? Ergo (in-
fert idem Auctor) ad talem fruitionem est præ-
destinata: ergo natura, separata à personalitate,
poterit etiam prædestinari.

Respondent Adversarii: animam separatam
capacem esse prædestinationis propter ordinē,
quem dicit ad subsistendum in corpore. Sed
contrà (inquit Felix loc. cit.) quia etiam natura
diceret ordinem ad personalitatem propriam:
ergo esset capax prædestinationis. Secundo: quia
inclinatio ad corpus nihil efficeret animæ, ut
sit subiectum prædestinationis, cum gloria sit
in actibus intellectus, & voluntatis, quos anima
sine corpore, natura sine personalitate exercere
potest. Sic ille. Procul dubio, reponit quispi-
am, gloria stat in actibus intellectus, & volun-
tatis; sed actiones sunt suppositorum; ergo na-
tura sine suppositalitate non est capax prædesti-
nationis.

Respondet Felix sup. n. 4. quod actiones sunt
suppositorum denominativè tantum: nam natu-
ra singularis est principium quod operationis;
accidentia enim denominare solent non solum
principium à quo fiunt, sed etiam subiectum,
in quo recipiuntur; cum ergo suppositalitas, cum
sit complementum substantiale naturæ, præsup-
ponatur ad operationem, hæc non solum deno-
minat naturam; sed etiam suppositum. Unde
Aristoteles 1. Metaph. ait: Actiones sunt (up-
positivè singularium, & objectivè circa singu-
laria, id est, natura singularis præsupponitur
cum suppositalitate, antequam operetur; non
tamen docet, suppositalitem esse principium
operationis. Sic ille. Equidem apud me, &
complures alios, suppositalitas creata solum est
negatio. Unde non approbo, quod Felix ibi
dicit, suppositalitem esse complementum sub-
stantiale naturæ, si intelligat complementum
positivum. Sed neque recipio istud, quod ibi-
dem n. 1. supponit, personalitatem seu supposi-
talitem realiter distinguere à natura, nisi intelli-
gat realiter negativè.

Similiter displicet, quod eodem numero no-
tat, non repugnare dari naturam sine propria
aut aliena personalitate; hoc inquam, non pla-
cet: nam quælibet natura vel dependet ab alio
per unionem intrinsecæ dependentiæ, vel non
sic dependet ab alio; si primum, subsistit alienā
subsistentiā; si secundum, propriā: hoc est, vel
unitur alteri naturæ, vel non; si primum, subsi-
stit alienā subsistentiā, si secundum, propriā, quæ
non est probabiliter aliud, quam duplex nega-
tio, actualis scilicet, & aptitudinalis unionis in-
trinsecæ

si seclusa
personalita-
te fuit præ-
destinata.

Probatur
Conclusio
ratione.

Confirmatur.

125.
Responsio
Adversari-
orum.
Impugnatur.

126.
Quæ rati-
one actiones
sunt supposi-
torum.
Felix.

Aristot.

Suppositali-
tas creata
quid sit.

127.
Qualibet
natura vel
subsistit
propriā sub-
sistentiā vel
alienā.

Felix.

trinsecæ dependentiæ ab alio. Sed hæc controversia spectat ad Philosophos. Felix de Incarnatione cap. 6. diff. 5. utramque sententiam tanquam probabilem defendit, & hic videtur secutus sententiam, quæ dicit substantiam esse modum quemdam positivum naturæ superadditum; & nihilominus benè respondet ad prædictam objectionem, negando istum modum esse operativum.

128.

An humanitas Christi prius fuerit prædestinata ad unionem, quam ad gloriam duplex probatio partis affirmantis.

S. Aug.

Responsio ad primam probationem

Sed urgent Adversarii, & dicunt: Humanitas Christi prius fuit prædestinata ad unionem hypostaticam, quam ad gloriam. Probatur prius, & nam Christus dicitur ad gloriam prædestinatus; ergo præsupponitur humanitas personata. Secundò: prædestinatio fit prius ad principalem dignitatem; sed dignitas principalior humanitatis Christi est unio hypostatica, teste D. Aug. 13. de Trinit. c. 19. ibi: In rebus enim, per tempus ortis, illa summa gratia est, quod homo in unitate personæ conjunctus est Deo. Ergo prius volita est unio hypostatica, quam gloria. Ergo terminus prædestinationis debet esse natura personata. Respondeo cum Scotus sup. negando Assumptum. Ad primam probationem, respondet Felix sup. de Prædest. quod Christus dicitur prædestinatus ad gloriam ordine executionis; at verò ordine intentionis sola humanitas est, quæ prædestinata est ad gloriam. Id est, gloria, ad quam humanitas prædestinata fuerat ab æterno, collata est in tempore Christo: atque adeò ab æterno voluit Deus eam Christo conferre.

129.

Ad secundam.

An unio hypostatica sit summa gratia. Scotus.

Quæ consideratio sit talis, ex Felice.

130.

Idem declaratur ex Scoto.

Ad secundam probationem ex auctoritate D. Aug. respondet Scotus 3. dist. 2. q. 1. s. Ad argumenta principalia, n. 11. Quod est summa gratia in ista unione (hypostatica) quia summa gratuita condescensio voluntatis divinæ, quæ fuit principium assumptionis. Non est autem summa gratia habitualis ex vi unionis, in ista unione, licet de facto ista concommiteatur istam unionem. Unde auctoritas Augustini potest exponi de facto; quia loquitur de rebus, post tempus ortis; quod inter illas summa gratia est in unione naturæ ad Verbum divinum. Itaque unio hypostatica (ut vult Felix sup.) est summa gratia, quatenus includit beatitudinem, & cætera dona, quæ reperiuntur in Christo, secus unio præcisæ, vel dicitur summa gratia, quatenus est dispositio de congruo ad summam gratiam habitualement, & gloriam; vel tertio dicitur summa gratia, quia sola Incarnatio inter omnia opera Dei ad extra est opus merè gratuitum, cum nullam supponat causam meritoriam; nam reliqua opera gratiæ supponunt in executione ipsammet Incarnationem, ut principium meriti. Ita Franciscus.

Audi nunc Scotum sup. n. 10. Dico, quod ista (unio hypostatica) est major quantum ad actum primum: quia per hanc communicatur esse personæ assumptæ naturæ assumptæ; & etiā modo de facto ista includit aliam unionem (puta beatificam) quæ est ad actum secundum, & operari: sed de possibili, si separaretur, illa esset major, quæ esset natura ad Verbum, ut ad terminum, quantum ad actum primum; licet non quantum ad actum secundum, & esse beatificum; quia beatitudo magis est in operatione, & ideo illa est major quantum ad operationem. Vel magis propriè

loquendo, potest dici, quod neutra est major alia, quia sunt alterius rationis; & cum neutra necessario includat aliam, potest una esse sine altera. Ita Doct. Subtilis.

Interim 4. dist. 49. q. 2. n. 10. vocat unionem hypostaticam simpliciter perfectiorem cogens: Aliquis illapsus simpliciter perfectior non est, artifice; alius simpliciter minus perfectus est beatus. Exemplum, perfectissimus illapsus est in naturam humanam, ut personaliter unitam Verbo: nec tamen ille est formaliter beatificus. . . . Illapsus autem Dei trini in Michaelem, qui est simpliciter minus perfectus, est simpliciter beatificus. Num inde re & ideo interitur: ergo humana natura in Christo prius fuit prædestinata ad unionem, quam ad gloriam? Potest dici (inquit Scotus 3. dist. 7. q. 3. n. 5.) quod cum in actione artifice sit contrarius processus in exequendo ei, qui est in intendendo, & Deus prius ordine executionis univ. filii naturam humanam, quam contulerit sibi summam gratiam vel gloriam, & converso potest poni in intendendo, ut sic Deus primò voluit aliquam naturam non summam habere summam gratiam, ostendens, quod non oporteret eum conferre gloriam secundum ordinem naturarum; & quod secundo voluit, illam naturam esse in persona Verbi, & sic Angelus non subisset puro homini.

Nec obstat: quod unio sit simpliciter excellentior seu perfectior; quia optime potest perfectius ordinari ad imperfectius, quando ordinantur ex voluntate Dei: nam Incarnatio, quæ est perfectior, ordinatur in remedium peccati, quod imperfectius est. Cur ergo nequeat similiter ordinari ad gloriam, est hæc sit minus perfecta? Quemadmodum (inquit Scotus sup. n. 2.) merita cadunt sub prædestinatione, sine quibus non ordinaretur de congruo quis ad tantam gloriam finire, sicut cum eis; ita videtur ista unio ordinari ad tantam gloriam de congruo, licet non cadat sub prædestinatione tanquam meritum.

Sciè dicit: de congruo; nam (inquit Felix de Incarnatione c. 19. diff. 2.) unio, facta pacto, non debetur de condigno gratia, neque gloria, sed tantum ex congruentia; sicut etiam quæ debetur gratiæ gloria, nisi ex pacto. Sic illa. Sed est, sit medium condignum, ut Aliqui volunt, quid tum? An ideo non potuit Deus ordinare Incarnationem ad gloriam? Cur mirum, quam opera bona, quæ sunt meritoria de condigno gratiæ & gloriæ? Non video sufficientem disparitatem. Et sic manet Conclusio nostra vera, saltem in humana natura Christi, quæ erat propriâ personalitate, & tamen prædestinata fuit, ut diximus, tum ad unionem hypostaticam ad gratiam & gloriam. Enimvero cum humanitas secundum se fuerit unita Verbo, & assumpta sumpta ab eo, & non ratione suppositi; ipsi enim dicitur Deus primariè contulisse donum illud supremum unionis, & non ratione suppositi: de aliis verò donis patet, nam dona gratiæ & iustificatio, & gloria collata semel naturæ humanæ semper in ea manerent, etiam si illa veritas mutaret supposita.

Atque hæc ratio probat veritatem Conclusionis etiam in aliis electis. Quippe licet Scotus in principio Conclusionis citatus rectè notet, quod

quod in omnibus aliis prædestinatio respiciat personam; quia in omnibus aliis natura humana est personata propria personalitate; hinc tamen non sequitur, prædestinationem in aliis omnibus respicere personam ut sic, sive naturam quatenus personatam; sed solum respicere naturam, quæ personata est propria personalitate; maxime cum, ut dictum est, personalitas creata probabiliter solum sit duplex negotio unionis scilicet actualis & aptitudinalis dependentiæ, quæ nullatenus est elicitiva, vel receptiva gratiæ aut gloriæ, sed principium elicitivum & receptivum est natura secundum se; & idcirco ut sic est objectum proximum prædestinationis, & non ut personata, sive ratione personalitatis; quia, ut mox dictum fuit, dona semel naturæ collata manerent eadem, etiam si ipsa mutaret personalitatem, v.g. si ea, quæ nunc propria gaudet, postmodum aliena subsisteret. Igitur, ut finem imponamus huic contro-
 137. *Probatio ex ratione.*
 versationi seu subjectum prædestinationis est omnis & solus prædestinatus tam ex hominibus, quam ex Angelis, secundum naturam humanam, vel Angelicam ut sic. Et si à me quaeritur: equis numerus prædestinatorum? Novit ille, qui prædestinavit, non ego, qui consiliarius ejus non fui. Hoc firmâ fide credo, numerum eorum esse certum & immutabilem, ut edissero sequenti Conclusionem, quæ talis est.

CONCLUSIO VI.

Certus ac immutabilis numerus electorum in divina præscientia librum Vitæ constituit.

136. *Idem.*
 Incipiam cum verbis S. Aug. lib. 14. de Civitate. c. 26. circa finem: Omnipotenti Deo summo summæ bono, creatori omnium naturarum; voluntatem autem bonarum adiutori ac remuneratori; malorum autem relictori & damnatori, utrarumque ordinatori non defuit utique consilium, quo certum numerum civium suâ sapientiâ prædestinatum, etiam ex damnato genere humano, sua civitatis impleteret; non eo jam meritis (humanis) quandoquidem universa massa, tanquam in vitata radice, damnata est, sed gratiâ discernens. Et lib. de Corrupt. & Grat. c. 13. in principio sic ait: Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuat ex eis. Et ne id gratis dicere videatur, probat ex illo Apocal. 3. v. 11. Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim (inquit S. Doctor) alius non est accepturus, nisi iste perdidit, certus est numerus. Quippe iste nunquam perdet, dicente Christo Joan. 10. v. 27. & 28. Ego cognosco eas (oves meas) & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternam, nec rapiet eas quisquam de manu mea. Et Apoc. 2. Timor. 2. v. 19. Firmum (inquit) fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc;
 138. *Massilienses negant hanc certitudinem provenire ex prædestinatione.*
 139. *Alii Hæretici assertores, hanc certitudinem necessitare electos.*
 140. *An præcisè ex prædestinatione oriatur hæc certitudo. Smiling.*
 In quo consensit hæc certitudo.

cognovit Dominus, qui sunt ejus. Ergo, secundum D. Aug. numerus electorum certus est, neque augendus, neque minuendus.

137. *Probatio ex ratione.*
 Isthæc est communis sententia Catholicorum, quæ, suppositâ omniscientiâ Dei, immutabilitate, & infallibilitate decreti ipsius, de quibus in præcedentibus egimus, plusquam meridiana est. Breviter hic dico: voluntas Dei efficax semper impletur; & nihil impletur nisi Deo volente, vel permittente; neque in tempore accedit Deo novum aliquod decretum. Ergo numerus electorum certus est, neque augendus, neque minuendus, idque ex prædestinatione divina, id est, efficaci & absoluta Dei voluntate, quâ ab æterno decrevit ipsis dare gloriam.

Hanc tamen certitudinem (inquit Smil. Sup. n. 795.) nec omnes admittunt, nec omnes, qui admittunt, rectè explicarunt. Massilienses enim (ut Prosper in Epist. ad Aug. scribit) non acquiescebant, Prædestinatum electorum numerum nec augeri posse nec minui. Nam (ut Hilarius ad eundem Aug. scribens ait) si sic prædestinati sunt, inquit, ad utramque partem, ut de aliis ad alios nullus possit accedere, quod pertinet tanta ex-
 138. *Massilienses negant hanc certitudinem provenire ex prædestinatione.*
 139. *Alii Hæretici assertores, hanc certitudinem necessitare electos.*
 140. *An præcisè ex prædestinatione oriatur hæc certitudo. Smiling.*
 trinsecus corruptionis instantia? Et aliquibus interpositis: Inde est quod & illud pariter non accipiunt, ut eligendorum, rejicendorumque esse definitum numerum velint. Non quod negarent, Deum habere certam præscientiam numeri electorum; sed quod negarent esse electorum numerum certum ex definitione, & prædestinatione divina.

In alterum extremum declinantes recedentes Hæretici, ita certum esse dicunt numerum electorum ex prædestinatione divina, ut talis præfinitio absolutè & simpliciter necessitet electos ad operandam salutem suam; quia censent præfinitionem salutis cum libertate eam consequendi non posse consistere; quod principium etiam Massilienses supponebant, & illo supposito, ut salvarent libertatem, negant præfinitionem. Denique; Catholici aliqui censent, numerum electorum esse certum ex præfinitione gratiæ efficaci; non tamen ex præfinitione gloriæ, quasi hæc ante operum prævisionem his & non illis sit præfinita. De hoc agemus infra, ubi de causa prædestinationis, De fundamento hæreticorum superius tractavimus, & ostendimus, quomodo nec præscientia Dei, nec providentia, nec prædestinatio præjudicent libertati creatæ.

Tantum hic nota cum Smil. Sup. in fine, præcisè ex præfinitione non esse ita certum numerum electorum, quin illâ præfinitione positâ, potuerit esse major numerus electorum per aliam electionem; sed solum esse certum numerum electorum ex præfinitione, ut præfinitio modò facta est, nullâ adjunctâ aliâ electione circa alios; sed potius adjuncta voluntate non eligendi alios. Dico ergo rursum, electorum numerum esse certum & immutabilem. Consistit autem hæc certitudo, & immutabilitas in eo, quod numerus iste nec augeri possit nec minui, ut patet ex verbis Aug. Sup. relatis.

O 2 Sed

141.
Oppugnat
ex Script.

Sed enim, réponet aliquis, id repugnat Scripturæ sacræ, quæ non semel significat, quempiam posse deleri de libro vitæ, Exod. 32. v. 31. & seqq. Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti, dicebat Moyses Domino. Cui respondit Dominus: Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo. Item Psal. 68. v.

Scriptura
Sacra sapi-
us meminit
libri vitæ.

29. Deleantur de libro viventium, & cum iustis non scribantur. Antequam explicem has Scripturas, operæ precium erit declarare, quid sit liber vitæ, cuius Scriptura sacræ sæpius meminit: ad Philipp. 4. v. 3. Quorum nomina sunt in libro vitæ. Apocal. 3. v. 5. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ. Et cap. 13. v. 8. Adoraverunt eam (bestiam) omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi. Præterea cap. 17. v. 8. Mirabuntur inhabitantes terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi. Et cap. 20. v. 12. Vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum. Ac paulo post v. 15. Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis. Denique c. 21. v. 27. Non intrabit in eam aliquid coinquitatum, aut abominacionem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni.

142.
Quid sit
hic liber.
Smiling.

Sententia
D. Thomæ.

Debere autem (inquit Smil. sup. n. 797. in fine) in his locis intelligi conscriptionem salvandorum & damnandorum in scientia Dei, de quibuldam locis manifestum videtur; nec occurrit ratio, ob quam cætera loca non habeant eundem sensum. Sic ille. Ubi videtur recipere sententiam D. Thomæ, qui 1. part. q. 24. a. 1. in corp. ait: Ipsa Dei notitia, quæ firmiter retinet, se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, dicitur liber vitæ. Itemque ad 4. Dicendum, quod secundum rationem differt liber vitæ à prædestinatione. Importat enim notitiam prædestinationis, sicut etiam ex Glossa inducta apparet. Rogas, quæ sit illa Glossa? Respondeo: super illud Psal. 68. v. 29. Deleantur de libro viventium, dicens: Liber iste est notitia Dei, quæ prædestinavit ad vitam, quos præcivit.

143.

Itaque secundum D. Thomam (ut eum explicat Smil. sup. n. 799.) prædestinatio est scientia practica, ostendens voluntati divinæ effectum, ut eligendum; liber autem vitæ scientia speculativa, repræsentans eundem effectum, ut electum & actum futurum; & quod inde fit, illa scientia est prior secundum rationem; ista verò secundum rationem posterior prædefinitione voluntatis. Unde (inquit Theod.) in omni sententia de essentiali ratione prædestinationis liber vitæ est secundum rationem posterior prædefinitione. Atque adeo convenit hic Auctor cum Doct. Angelico in eo, quod liber vitæ non sit ipsa prædestinatio, sed notitia consequens prædestinationem. Si inferas: ergo multiplex erit scientia Dei (quod est contra simplicitatem Dei) eritque alius liber vitæ, alius liber mortis; ac denique alius liber vitæ gratiæ, & alius liber vitæ naturæ: quia Deus habet præscientiam malo-

Liber vitæ
non est ipsa
prædestinatio.
Smiling.

rum sicut bonorum, & præscientiam vitæ naturæ sicut præscientiam vitæ gratiæ, quæ sunt contra communem modum loquendi Doctorum.

Respondet præfatus Auctor sup. n. 800. negando Sequelas; primam quidem; quia multiplex terminatio ejusdem actus divinæ scientiæ non est contra simplicitatem Dei; & illam multiplex terminationem, quæ ex objectorum sumitur distinctione, solum indicavit Scriptura, quando scientiam Dei libros appellat, quam tamen ob ejus simplicitatem etiam alibi librum vocat, dicens: In libro tuo omnes scribentur. Ratione terminationis verò possunt libri divinæ scientiæ ita distingui, ut alius sit liber personarum, quibus Deus decrevit gloriæ & gratiæ, vel damnationis; alius item liber legum, pro quarum observantia, vel transgressionem decreta est gloriæ vel damnatio. Secundam verò Consequentiam negat: quia licet Deus habeat scientiam malorum, illam Scriptura non appellat librum mortis, sed sub nomine libri simpliciter dicti comprehendit, cum ait: In libro tuo omnes scribentur. Libri aperti sunt, iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris. Cujusmodi loquendi ratione reddit S. Tho. sup. ad 3. dicens: Non est consuetum conscribi eos, qui repudiantur, sed eos qui eliguntur.

Ratio etiam esse potest, quod liber vitæ per antonomasiam, & quidam principalis liber sit, in quo pacto non datur liber mortis; quia Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditionibus nostris, ut eas, velut ex intentione, notet principaliter in libro præscientiæ suæ. Ob quod etiam subinde in Scriptura dicitur, ne time reprobos, Matth. 15. Luc. 13. scilicet quædam principali scientiæ, quæ est approbationis, quæ dicitur præferre plebem suam, ad Rom. c. 11. & nosse qui sunt ejus, 2. Timor. 2. & novissime iustorum, & eorum nomina scribi dicuntur in cælis Luc. 10. à Deo autem recedentes scribi in terra Jerem. 17. Quidem tamen celessem præscientiam malorum posse vocari librum mortis, quod colligunt ex Basilio in illud cap. 4. Uai: Et erit: Omnis qui relictus fuerit de: Et Nazianzeno Orat. 41. Quæstio est de nomine de re ipsa ita loquitur Hieron. in cap. 7. Danielis: Vnus est liber bonorum cum suis operibus, & alter est malorum cum suis peccatis. Unde & Ecclesia in Prosâ defunctorum: Liber (inquit) scriptus proferetur in quo totum continetur, scilicet bona & mala.

Tertiam denique Consequentiam negat Theod., quia non dicitur aliquis eligi ad vitam naturæ, cum electio supponat naturam cum his, quæ ad vitam debentur, quæ talia sunt; sed dicitur eligi ad vitam indebitum naturæ, eique superadditum; liber autem vitæ in Scriptura significat conscriptionem electorum, & sic non debet præscientia vitæ naturæ appellari liber vitæ. Ita Smil. Igitur propter illas Consequentias non est recedendum à præsentia D. Thomæ; est ob aliam rationem ab ea recedat Felix de Prædest. c. 2. n. 10. ubi inquit: Si liber vitæ sumitur à metaphora (ut ait S. Tho. sup. in corp.) rerum humanarum, & liber sit, in quo cognoscitur & legitur, quod

scitur, vel desideramus scire, liber est decretum, vel actus Dei, in quo prædestinatio constituitur, & non notitia; nam hæc potius est actus legendi, quam liber. Ex quo deduco, quod liber vitæ solum distinguitur à prædestinatione, quod hæc solum respiciat gloriam; at verò liber vitæ dicit ordinem ad intellectum Dei legentis. Sic ille.

Cui favere videtur S. Aug. quando 20. de Civ. d. c. 15. circa finem ait: Non Deum liber iste (loquitur de libro vitæ) commemorat, ne oblivione fallatur, sed prædestinationem significat eorum, quibus æterna dabitur vita. Respondet Smiling. sup. n. 799. Augustinum sæpe describere prædestinationem per præscientiam, quæ descriptio est per quid consequens formalem seu essentialem rationem prædestinationis. Et ita etiam hoc loco ait librum vitæ esse idem, quod prædestinationem; nam immediatè subjungit: Neque enim nescit eos Deus: & in hoc libro legit, ut sciat, sed potius ipsa ejus præscientia de illis, quæ falli non potest, liber est vitæ, in quo sunt scripti, id est, præcogniti. Sumit ergo prædestinationem pro præscientia, & quidem pro scientia consequente prædestinationis formalem rationem, nimirum pro præscientia absoluta. Distinguitur ergo (concludit Theod.) liber vitæ à prædestinatione formaliter sumpta.

Quid igitur ad rationem Felicitis? Respondeo eandem notitiam posse esse & actum legendi, & librum, sive representans id, quod scire volumus: sic enim species expressa alicujus rei est formalis imago objecti, & simul notitia ejusdem, ita ut in ipsa specie homo, quasi per notitiam, quæ est ipsa species, cognoscat objectum, sive rem representatam, & legat illam quasi in libro.

Cæterum parum refert ad propositam difficultatem, id est, ad explicationem dictarum Scripturarum, quæ significant, aliquem posse deleri de libro vitæ, sive dixeris, hunc librum esse actum intellectus, puta notitiam seu præscientiam electorum, vel potius actum voluntatis, puta prædestinationem formaliter sumptam; nam uterque actus certus est, & immutabilis quomodo ergo fieri potest, ut, qui conscriptus est in libro vitæ, de hoc libro deleatur? Sic namque illi actus forent incerti, & mutabiles, ut patet. Respondet D. Tho. sup. art. 3. aliquem in libro vitæ scriptum secundum quid, seu secundum præsentem justitiam posse ex illo deleri; tamen in illo libro scriptum simpliciter, seu secundum præsentem, & futuram ac sempiternam justitiam non posse ex illo deleri, & sic prædestinatos esse scriptos in libro vitæ.

Hæc sunt verba D. Tho. loc. cit. in corp. Est liber vitæ conscriptio ordinatorum in vitam æternam. Ad quam ordinatur aliquis ex duobus, scilicet ex prædestinatione divina, & hac ordinatio nunquam deficit, & ex gratia. Quicumque enim gratiam habet, ex hoc ipso est dignus vitæ æternæ. Et hac ordinatio deficit interdum; quia aliqui ordinati sunt ex gratia habita ad habendam vitam æternam, à qua tamen deficiunt per peccatum mortale. Illi igitur, qui sunt

ordinati ad habendam vitam æternam ex prædestinatione divina, sunt simpliciter scripti in libro vitæ, quia sunt ibi scripti, ut habituri vitam æternam in seipsa; & isti nunquam delentur de libro vitæ. Sed illi, qui sunt ordinati ad habendam vitam æternam, non ex prædestinatione divina, sed solum ex gratia, dicuntur esse scripti in libro vitæ non simpliciter, sed secundum quid; quia sunt ibi scripti, ut habeant vitam æternam non in seipsa, sed in sua causa. Et tales possunt deleri de libro vitæ, ut deletio non referatur ad notitiam Dei, quasi Deus aliquid præsciat, postea nesciat; sed ad rem scitam, quia scilicet Deus scit aliquem prius ordinari in vitam æternam, & postea non ordinari, cum deficit à gratia. Ita Doctor Angelicus. Et optimè, ut notat Smil. sup. nu. 796.

Quamquam & aliæ sint expositiones dictarum Scripturarum. Prima: Moyses ibi loqui non per metaphoram; sed propriè de libro, in quo scribebantur insignia facta iustorum ad perpetuam eorum memoriam. Et ita etiam quidam exponunt Psalmum citatum. Secunda expositio accipit librum metaphorice pro scientia hominum, quæ æstimabatur Moyses tanquam vir magnus & dignus ducatu populi Israël. Non sunt tamen (prout advertit Theod. sup. n. 797.) convenientes expositiones; sed melius dicta loca intelliguntur de libro metaphorice accepto pro scientia, vel decreto Dei.

Et si inferas: ergo fuit valdè inordinatus affectus Moysis optantis deleri de libro vitæ potius, quam non ignosceretur à Deo offensa populo Israël: quippe sensus erit, quod optaverit privari jure ad beatitudinem, adeoque privari amicitia Dei, quæ est tali juri annexa, qui affectus nullo sine licitus esse potest, eum esse inimicum Dei sit intrinsecè malum. Respondent aliqui: Moysen indeliberatè ex quadam animi perturbatione id dixisse. Sed hæc responsio non placet Smil. sup. n. 801. quia, inquit, eum esset Moyses vir sapientissimus, & animi maxime moderati, non poterat in tam inordinatum affectum ex animi perturbatione prorumpere.

Aliter ergo respondet hic Auctor cum D. Aug. q. 147. in Exod. Lyrano, Abulenfi & aliis scribentibus in illum locum, Moysen non optasse deleri de libro vitæ; sed eo loquendi modo exprimere voluisse, tam esse impossibile, quin speraret, ob preces suas dimittebam esse populo noxam, ac erat impossibile, ipsum deleri de libro vitæ, & hæc confidentiā voluisse Deum flectere ad misericordiam: quemadmodum si unus amicus alteri diceret: Aut hoc mihi præstes, aut dele me de numero amicorum tuorum; certam fiduciam habens, quod hoc secundum non faceret; adeoque etiam confidens, quod primum illud ei non denegaret. Ita Theod. Accipe verba D. Aug. Cum Moyses dicit ad Deum: Precor, peccavit populus iste peccatum magnum, & fecerunt sibi Deos aureos, & nunc si quidem remisitis illis peccatum illorum, remitte: sin autem, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Securus quidem hoc dixit, ut in (aliàs, &) consequentibus ratiocinatio concludatur, id est, ut

Qui sunt scripti solum secundum non ex prædestinatione divina, sed solum ex gratia, quid.

151. Exponitur quod ait Moyses Exod. 2. dele me de libro etc.

152. An Moyses peccaverit hoc dicendo.

Prima Responsio. Smiling.

153. Secunda ex D. Aug. Lyrano, Abulenfi & aliis.

quia Deus Moysen non deleteret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.

154. Eundem sensum habet (auditis Smif. sup.) illud Pauli Apostoli ad Rom. 9. v. 3. Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis; si tamen significet, se hoc optasse eo tempore, quo fuerat Christianus, ut intelligunt Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, D. Tho. in illum locum. Est autem valde probabilis expositio Hieronymi, Anselmi, Cajetani, loqui Paulum de tempore, quo fuerat Judæus, quando pro fratribus suis Judæis ita zelabat paternas traditiones, ut optaret, id est, non curaret, separatus esse à Christo; quam expositionem ex contextu colligere facile est. Nam (ut ait Felix sup. n. 11.) paulo inferius penitens addit: *Quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo.* Sed ne Felix infeliciter legit dictum textum; non enim paulo inferius, sed paulo superius, scilicet n. 2. habentur ista verba. At parum refert siue superius, siue inferius, impertinens, inquam, est ad nostrum propositum, id est, non tollitur probabilitas dictæ expositionis, sed confirmatur.

Alia expositio horum verborum.

155. Porro ad illud Psal. 68. *Deleantur de libro viventium &c.* Respondet Felix sup. cum Aug. & Glossa, quod erant aliqui, ut Pharisei, & nunc hæretici, qui putant se esse iustos, & in libro vitæ scriptos, de his David ait: *Deleantur, id est, innotescat, quod non sunt scripti in libro vitæ.* Sic ille. Do verba S. Aug. Eparr. in d. Psal. *Isti ergo (reprobos intelligit) quomodo inde deleantur, ubi nunquam scripti sunt? Hoc dictum est secundum spem ipsorum, quia ibi se scriptos putabant. Quid est, deleantur de libro vitæ? Et ipsis constat, non illos ibi esse.*

S. Aug. Hanc expositionem indicat D. Tho. sup. a. 3. in corp. Respondeo, dicendum, quod quidam dicunt, quod de libro vitæ nullus potest deleri secundum rei veritatem; potest tamen aliquis deleri secundum opinionem hominum. Est enim consuetum in Scripturis, ut aliquid dicatur fieri, quando innotescit, & secundum hoc aliqui dicuntur esse scripti in libro vitæ, in quantum homines opinantur, eos ibi scriptos propter presentem iustitiam, quam in eis vident. Sed quando apparet vel in hoc saculo, vel in futuro, quod ab hac iustitia exciderunt, dicuntur inde deleri. Et sic etiam exponitur in Glossa deletio talis super illud Psal. 68. *Deleantur de libro viventium.*

156. Cæterum contra communem expositionem, quam sup. adduximus ex D. Tho. ibidē, videtur facere, quod aliquæ Scripturæ solos salvandos significant esse scriptos in libro vitæ, ut Danielis 12. v. 1. & 2. Et in tempore illo salvabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro: & multi de his, qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper. Item Apocal. 20. & 21. Vide verba sup. Ergo similiter aliæ Scripturæ intelligendæ sunt. Respondeo neg. Consequentiam: nam materia subiecta, scilicet deletio ex libro cogit nos aliter interpretari librum, cum certum sit, ut patet ex antedictis, neminem salvandorum petire, *Frates* (inquit Aug. sup.) non

157. sic accipere debemus (quod ait Psal. *Deleantur de libro viventium*) quod quemquam Deus scribit in libro vitæ, & delect illum. Si homo dixit. Quod scripti scripti, de titulo, ubi scriptum erat: Rex Judæorum, Deus quemquam scribit, & delect præfatus est, prædestinavit omnes ante mundi constitutionem regnuros cum Filio suo in vita æterna. Ergo liber, ex quo aliqui deleantur quantum ad rem, & non solum in opinione hominum, nequit accipi pro conscriptione electorum tantum.

Solutio. Nisi dicere velis, quempiam intelligi de libro vitæ deleri negativè, id est, non esse scriptum in illo; sicut aliquando in Scriptura dicitur odio haberi ille, qui non diligitur. Et ita non volunt illæ Scripturæ (inquit Smif. sup. n. 802.) posse aliquem deleri de libro electorum, postea quod eidem inscriptus sit, sed posse aliquem non esse scriptum in illo; quemadmodum potest quipiam non esse prædestinatus, non tamen polius, quod sit prædestinatus: ob quod in rigore recipienda est illa sententia, quæ falsè refertur ex Aug. *Si non es prædestinatus, fac ut prædestinatus, quia illa conjunctio, si, sententiam compositionis importat.* Sic ille.

S. Aug. Idè verò Scripturæ minantur hominibus illam delectionem de libro vitæ, quia in executione pendet a malitia hominum, quod non sit ab æterno scripti in libro vitæ, licet prima non scriptio seu negativa reprobatio non pendeat ab illis; quemadmodum etiam Scripturæ hortantur homines ad bona opera, quia electio in executione pendet ab illis, licet prima electio non pendeat. Hinc Apost. 1. Cor. 9. v. 27. *Castigo, inquit, corpus meum, & in servitum redigo, ne forte, cum aliis prædicaverim, ipse reprobos efficiar.* Ex 2. Petr. 1. v. 10. scriptum est: *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Deinde Ecclesia in Canone Missæ orat, ut Deus nos jubeat in electorum suorum grege numerari.

Ecce multiplex expositio eorumdem verborum. D. Thomas sup. improbat expositionem S. Aug. Quia, inquit, non deleri de libro vitæ potest inter præmia justorum, secundum illud Apoc. 3. Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ; quod autem sanctis reprobantur, non est solum in hominum opinione. Sic Doct. Angel. At nunquid hic promittitur sola non delectio in hominum opinione? Clarum est, quod non; nam dicitur: *Sic vestietur vestimentis albis, & d. verbis: Non delebo &c.* immè diatè subjungitur: *Et confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.* Promittitur ergo non delectio quantum ad rem, siue consecratio æternæ gloriæ.

Si inferas: ergo etiā deleri de libro vitæ, quod est solum dictum de delectione in opinione hominum, sed etiam in rei veritate. Respondetur negando Consequentiam. Disparitas petitur ex subiecta materia; nam in rei veritate deleri non potest de libro vitæ, intelligendo per hunc librum conscriptionem electorum seu salvandorum; potest autè intelligi non delectio in rei veritate. Quia

Quinimo, dicit aliquis, etiam delitio potest intelligi in rei veritate; delitio, inquam, secundum præsentem iustitiam, ut audivimus ex D. Thoma sup. Atque hic intellectus magis placeat nostro Theodoro sup. ubi ad argumentum in oppositum respondet: Scripturam aliquando loqui simpliciter, seu abique alia expositione & declaratione, de scriptis in libro vitæ, & ita loqui de solis salvandis; aliquando seipsam explicare, quod loquatur de scriptis debilitate, & tunc de scriptis secundum quid, seu secundum præsentem iustitiam intelligi debere. Sic ille. Quamquam etiam expositio de delitio negativa satis ei placeat. Ego do optionem Lectori meo, eligat, inquam, expositionem, quam maluerit, & non errabit in fide aut bonis moribus; eo semper salvo, ut numerus electorum maneat certus ac immutabilis.

Sed quomodo, inquis, maneat immutabilis, cum Christus loquens Patri suo Joan. 17. v. 12. dicat: Quos dedisti mihi custodiri, & nemo ex eis perit, nisi filius perditionis. Ergo aliquis perit ex his, qui dati erant Christo à Patre. Respondeo: hæc verba posse intelligi de vocatione Apostolorum, perinde ad communem providentiam, de qua scriptum est Matth. 20. v. 16. Multi sunt vocati, pauci vero electi. Respondeo 2. particulam, Nisi, ibi non esse exceptivam, sed adversativam, ut sensus sit: Omnes quos dedisti mihi, custodivi, sed non filium perditionis, quem non dedisti mihi, scilicet illa vocatione, de qua scriptum est Rom. 11. v. 29. Sine penitentia sunt dona & vocatio Dei.

Ita etiam sumitur illa particula, Nisi, Apoc. 21. v. 27. Non intrabit in eam aliquis coinquinatus, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi (id est, sed) qui scripti sunt in libro vitæ. Agn. Item 4. Reg. 5. v. 17. Non enim faciet ultra servus tuus holocaustum, aut victimas diis alienis, nisi Domino, id est, sed Domino. Igitur neque d. Scriptura Joan. 17. obstat nostre Conclusioni. Et quia aliud non succurrit, quod posset eum fundamento objici, pergo ad alia, & quæro primum: utrum homo viator, sine speciali privilegio, sciat se esse scriptum in libro vitæ, id est, se esse simpliciter de numero electorum. Respondeo.

CONCLUSIO VII.

Librum vitæ nemo in hac vita legit sine speciali privilegio,

Id est, nemini, citra specialem revelationem, in hac vita certò constet, an ipse sit simpliciter de numero electorum ad vitam æternam. Est de fide novissimè definitum (contra Hæreticos nostri temporis Calvinum, & ejus asseclas) in Concil. Tridentino Sess. 6. cap. 12. sequentis tenoris: Nemo quoque quamdiu in hac mortalitate vivit, de arcano divinæ prædestinationis mysterio usque adeò presumere debet, ut certò statuatur, se omnino esse in numero prædestinatorum:

quasi verum esset, quod justificatus, aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit, certam sibi reipsam promittere debeat: nam, nisi ex speciali revelatione, sciri non potest, quos Deus sibi elegerit, scilicet ad vitam æternam. Et Can. 15. Si quis dixerit, hominem renatum, & justificatum, teneri ex fide ad credendum, se certò esse in numero prædestinatorum (ad vitam æternam) anathema sit. Præterea Can. 16. Si quis magnum illud usque in finem perseverantia donum se certò habiturum, absolutà & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit. Porro nisi hoc possit dicere, non potest scire, an sit de numero eorum, quos Deus elegit ad vitam æternam. Quippe scriptum est Matth. 10. v. 22. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit, & non alius, quantumcumque fuerit iustus, & in iustitia profecerit.

Demus ergo, quod aliquis sciat, se esse iustum de præsentem, nunquid idem legit librum vitæ? Planè secundum quid, juxta doctrinam D. Thomæ, de qua Conclus. præcedentis secus simpliciter, nisi sciat, se esse iustum ex prædestinatione, id est, moriturum in iustitia. Et idcirco dixi, nemini certò constare, an sit simpliciter de numero electorum ad vitam æternam. Dixi consilium: Demus ergo &c. quia & hoc disputatur inter DD. Catholicos: an homo possit certò scire, se esse de numero electorum secundum præsentem iustitiam, de quo vide Smif. Sup. n. 8 12. & seqq. non est hujus loci, sed pertinet ad tractatum de Justificatione. Hic tantum quærimus, utrum quispiam possit certò scire, se esse de numero electorum secundum sempiternam iustitiam, quod asserunt Calvinistæ.

Negat autem Catholica Ecclesia, testimonium perhibente Scripturâ sacrâ Ecclesiastâ 9. v. 1. & 2. Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit; sed omnia in futurum servantur incerta. Et Proverb. 18. v. 14. Beatus homo, qui semper est pavidus. Item ad Rom. 11. v. 20. Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. Et ad Philipp. 2. v. 12. Cum metu & tremore vestram salutem operamini. At si homo fidelis est modò certus (ut volunt Hæretici) quod sit à Deo dilectus ad æternam beatitudinem, id non servatur incertum in futurum; nec debet pavere, timere, ac tremere de salute sua. Hæc, inquam, omnia non stant simul cum lectione libri vitæ, siue cum certitudine ex parte nostra de divina prædestinatione; ergo hæc certitudo nullatenus est admittenda.

Dico: Ex parte nostra: nam certitudo ex parte Dei, siue ipsius prædestinationis in se, de qua sup. egimus, optimè cum his Scripturis convenit, ut patet consideranti ea, quæ dicta sunt; atque de hac certitudine intelligendæ sunt Scripturæ, quæ ex adverso adduci possent. Sed quid ad hæc Hæretici?

Respondet Calvinus Primò: illâ sollicitudine nos liberasse Christum. Sed contrà (inquit Smif. Sup. n. 808.) ergo Paulus Romanos, & Philippenses reducit in sollicitudinem, à qua Christus Smifing.

165.
Quid si aliquis scias se esse iustum de præsentem.

Loquimur hic de sempiterna iustitia.

167.
Ejus incertitudo probatur ex Script.

168.
Intellige incertitudinem ex parte nostra.

169.
Prima responsio Calvinii opposita natur ex Christus Smifing.

Christus eos liberavit. Item; si ita est, id sit per fidem: at Scriptura etiam fidelibus illum timorem inculcat: imò solis fidelibus; nam absque fide timor ille salutaris haberi non potest; quia damnationis periculum non timet, qui non eredit discretionem salvandorum & damnandorum. Sic ille. Respondet Calvinus Secundò: Paulum non simplicem securitatem Christianis dissuadere, sed supinam ac solutam carnis securitatem, quæ fastum, arrogantiam, aliorum contemptum secum trahat, humilitatem extinguat, ac reverentiam Dei, acceptæque gratiæ oblivionem inducat. Probat: quia Paulus alloquitur Gentiles, qui in Christum crediderant; ideoque vanè gloriabantur, quòd Judæis reje-ctis in eorum locum substituti essent.

Secunda re-
sponso Cal-
vini.

170. Verum nec hæc responsio satisfacit. Primò; quia (inquit Theod. Sup.) aliæ Scripturæ adductæ non loquuntur ad solos Gentiles. Secundò: quia etsi, Paulus, saltem in Epist. ad Romanos verbis allegatis eos alloquitur; non tamen ob eam rationem eos reprehendit, quòd non haberent reverentiam Dei, essentque obli-vi gratiæ Dei, ac per fastum & arrogantiam prolapsi in solutam carnis securitatem; hoc enim nunquam eis imponit, sed potius laudat in eadem Epistola fidem & pietatem illorum, ut patet cap. 1. sed eos reprehendit, quòd Judæos à gratiæ Christi participatione excludere, & illam ad se solos pertinere, persuasum haberent, ideoque despicerent Judæos; & ad hanc persuasione, & arrogantiam amovendam, salutarem ipsis inculcat timorem, ne & ipsi exciderent à gratia accepta (quod possibile esse supponit) & Judæi per gratiam in locum illorum inferantur. Tertio: quia etiam si daremus Calvinò securitatem carnis à Paulo dissuaderi; illam tamen non alia ratione dissuadet, quàm inculcando timorem excidendi à gratia accepta; adeoque excludendo securitatem simplicem (quam vocat Calvinus) quæ secundum Calvinum & rei veritatem liberat à simplici timore. Hucusque Smiling. Et placet, neque habeo quod addam, vel opponam.

Tertio.

Smiling.

171. Probatur
Conclus. ex
ratione.

Concil.
Trid.

Sed nunquid ex sola Scriptura probatur veritas nostræ Conclusionis? Minimè; sed etiam ex ratione. Et, amabo, quæ illa? Jam sup. eam insinuavi; quia nimirum nemo potest esse certus certitudine, cui non potest subesse falsum, se habere donum perseverantiæ, ut docet Trid. Seff. 6. cap. 13. dicens: Similiter de perseverantia munere, de quo scriptum est (Matth. 10. v. 22.) Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere: nemo sibi certi aliquid absolutam certitudine polliceatur. Jam autem ad certitudinem absolutam de salute, necessaria est hæc certitudo de munere perseverantiæ, ut patet ex Scriptura mox allegata ex Matth. 10.

172. Responsio
Calvini.

Respondet Calvinus, veros fideles etiam de sua perseverantia certos esse, & qui à fide videntur deficere, verè non fuisse fideles: quod

confirmat ex illo 1. Joan. 2. v. 19. Ex nobis pro-dierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum. Ubi illud: Ex nobis, interpretatur idem esse, ac ex verè fide-libus. Nunquid secundum mentem D. Augu-
stini? Imò exprèsse contra eam. Audi ipsum de
Corrept. & Grat. c. 9. Cum filii Dei dicant de his, qui perseverantiam non habuerunt: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, & addunt: Quid si fuissent ex nobis &c. Quid aliud dicant, nisi non erant filii, etiam quando erant in professione & nomine filiorum: non quia iustitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt. Neque enim ait: Nam si fuissent ex nobis, veram, non fictam iustitiam tenuissent utique nobiscum: sed, si fuissent, inquit, ex nobis, permansissent utique nobiscum, in bono illos volebat procul dubio permanere.

Confimiliter loquitur lib. de Dono perseverant. c. 9. aliàs 8. Ex duobus piis, cur huic donetur perse-
rantia usque in finem, illi autem non donetur, iustitiam
liora sunt iudicia Dei. Illud tamen fidelibus debet esse
certissimum hunc esse ex predestinatis, illum non esse.
Nam si fuissent ex nobis, ait unus predestina-
rum, quidde peccatore Domini liberat hoc secretum,
mansissent utique nobiscum. Quid est quod
Non erant ex nobis; nam si fuissent, mansissent
utique nobiscum? Nonne utrique à Deo creati, ut-
trique ex Adam nati, utrique de terra facti erant, &
ab eo, qui dixit (Ita ex 57. v. 16.) Omnem statum
ego feci; unusquisque domine natura animi acceptus
Domine postremo utrique vocati fuerant, & transeun-
tes secuti, utrique ex impiis iustificati, & per lavacrum
regenerationis utrique renovati?

Sed si hac audiret ille, qui sciebat procul dubio,
quod dicebat, respondere posset & dicere: Vera sunt
hæc, secundum hæc omnia ex nobis erant; per amantem
secundum aliam quandam discretionem non erant
ex nobis, nam si fuissent ex nobis &c. Quænam
est tandem ista discretio? Patet libri Dei, non ave-
ramus aspectum. Clamat Scriptura divina, adhibe-
mus auditum. Non erant ex eis, quia non erant
secundum propositum vocati; non erant in Christo
electi ante constitutionem mundi; non erant in eo
sortem consecuti, non erant prædestinati secun-
dum propositum ejus, qui universa operatur.
Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine du-
bitatione mansissent.

Igitur cæcus esse debet, qui non videt
mentem D. Aug. esse, verè fideles & iustos alio-
quando deficere finaliter à fide vel iustitia, & de
de illis loqui Joannem, quando ait: Ex nobis exie-
runt, & quando addit: Sed non erant ex nobis,
intelligere, eos non fuisse ex prædestinatis, ac
per hoc fuisse ex nobis secundum veram fidem
& temporalem iustitiā, sed non ex nobis secun-
dum electionem ad vitam æternam. Et laudat
si sententia Calvini vera foret (quod absq) se-
queretur manifestè, verè fideles non esse de illis
re monendos; quia nec de capeffenda vera fide,
aut de perseverando in illa, cum dicere possent,
se esse certos, quòd illam habeant, & quòd in
illa perseveraturi sint: nec de bonis operibus ex-
erendis, aut malis corrigendis; cum & sine o-
peribus fidem ad justificationem, & malorum
operum

operum non imputationem sufficere doceat Calvinus. At consequens illud, non esse monendos verè fideles, est contra manifestas Scripturas, quæ ferè semper fideles monent, & monendos docent, & contra S. Aug. lib. de Corrupt. & grat. & lib. de Dono persever. c. 14. & seqq. & alibi passim. Sic argumentatur Smil. sup. n. 809. Et rectè.

Notat etiam n. seq. D. Augustinum in libris jam allegatis supponere, quòd fideles sint incerti de sua salute. Accipe verba ejus ex cap. 8. de Dono persever. Homines videtur, omnes, qui huius apparent fideles, perseverantiam usque in finem adipisci debuisse. Deus autem melius esse judicavit, misere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum, ut, quibus non expedit in hujus vita tentatione securitas, non possint esse secari: multos enim à perniciosa elatione reprimi, quod ait Apol. (1. Cor. 10. v. 12.) Quapropter qui videtur hæc, videat ne cadat. Voluntate autem sua cadit, qui cadit, & voluntate Dei stat, qui stat. Et lib. de Corrupt. & grat. c. 13. sic ait: Quis ex multitudine fidelium, quamdiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædestinatorum se esse presumat? Quia id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cavenda est elatio, ut etiam per satana Angelum, ne extolleretur, tantus colaphizaretur Apostolus. Ac post pauca: Nam propter hujus utilitatem secreti, ne forte quis extollar, sed omnes, etiam qui bene currunt, timeant, dum occultum est, qui perveniant: propter hujus ergo utilitatem secreti credendum est, quosdam de filiis perditionis, non accepto dono perseverandi usque in finem, in fide, quæ per dilectionem operatur, incipere vivere, & aliquandiu fideliter ac justè vivere, & postea cadere, neque de hac vita, priusquam hoc eis contingat, auferri.

Hinc Patres Concilii Trident. sup. eum dixissent, omnes homines in Dei auxilio firmissimam spem collocare ac reponere debere, statim atque: Verumtamen, qui se existimant stare, vident ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in elemosynis, in orationibus & oblationibus, in jejuniis & castitate: formidare enim debent, scientes, quòd in ipse gloria, & nondum in gloriam renati sunt &c. Neque huic doctrinæ obstat, quod ait Paulus ad Rom. 8. v. 38. Certus sum, quia neque mors, neque vita &c. poterunt nos separare à Charitate Dei &c. Nā (inquit Smil. sup. n. 811.) (quis dicat, Paulum ibi voluisse definire, quòd omnes, ad quos scribebat, essent electi, cum fortè inter illos quidam essent reprobi? Solum ergo de se & illis loquitur in persona electorum, & sensus est, se certum esse, quòd electi non sint separandi à charitate Christi, quicumque sint illi, licet se & Romanos ponat gratiæ exempli; cujus veritas non requiritur. Sic ille.

Quæ cum ita sint, merito dicit Ecclesia in quadam Secreta: Deus, cui soli cognitus est numerus electorum, in superna felicitate locandus. Si ergo à me quaeritur: utrum prædestinati sint plures, quam reprobi? Respondeo: hoc soli Deo cognitum est, qui solus tam Angelos, quam homines prædestinavit, & reprobavit: ac nusquam in

Scriptura determinatum numerum electorum, vel reprobatorum revelavit. Unde ergo scire possumus, an plures sint prædestinati, quam reprobi? Ne tamen hæc quaestio maneat omnino insoluta, dico:

CONCLUSIO VIII.

In libro vitæ major pars Angelorum; minor hominum; maxima verè fidelium scripta est.

Magnum esse numerum electorum five Angelorum, five hominum, constat ex revelatione divina, quæ habetur apud Danielem cap. 7. n. 10. Millia millium ministrabant ei, & decies milles centena millia assistebant ei. Et Apoc. 7. v. 4. & seqq. Et audiui numerum signatorum centum quadraginta quatuor millia signati ex omni tribu filiorum Israel. Ex tribu Iuda duodecim millia signati &c. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palma in manibus eorum. Item cap. 9. v. 16. de Angelis dicitur: Et numerus equestris exercitus vicies milles dena millia. Ac denique cap. v. 11. Et vidi & audiui vocem Angelorum multorum &c. & erat numerus eorum millia millium &c. Hoc ergo certum est.

Quòd autem plures sint Angeli prædestinati, quam reprobi, ut habet prima pars nostræ Conclusionis, Scriptura nec ibi, nec alibi expressè loquitur: eam tamen doctrinam Aliqui colligunt ex illo Apoc. 12. v. 3. & 4. Et visum est aliud signum in celo; & ecce draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem, & in capitibus ejus diademata septem, & cauda ejus traherebat tertiam partem stellarum cæli, & misit eas in terram. Ubi per draconem intelligunt Luciferum, qui secum traxit, & misit in terram tertiam partem Angelorum. Quæ interpretatio si vera est, patet manifestè, majorem partem Angelorum fuisse scriptam in libro vitæ.

Estque hæc sententia D. Tho. 1. part. q. 63. a. 9. in corp. Respondeo, dicendum, quòd plures Angeli permanserunt, quam peccaverunt. Rationem addit: Quia peccatum est contra naturalem inclinationem. Ea verò, quæ contra naturam sunt, ut in paucioribus accidunt. Natura enim consequitur suum effectum vel semper, vel ut in pluribus.

Sed contra: Philosophus 2. Ethic. 6. dicit, malum esse ut in pluribus, bonum ut in paucioribus. Hæc sunt ejus verba: Præterea peccare quidem multis modis contingit. Malum enim est infinitum (ut Pythagorici putant) bonum vero finitum; at rectè agere unici: quapropter & alterum (scilicet peccare) facile, & alterum (scilicet rectè agere) difficile est. Respondet D. Tho. sup. ad primū: Philosophū loqui quantum ad homines, in quibus, inquit, malū contingit ex hoc, quòd sequuntur bona sensibilia, quæ sunt pluribus nota, deserto bono rationis, quòd paucioribus notum est. In Angelis autem non est nisi natura intellectualis: unde non est similis ratio.

P

Igitur

179.

Magnū esse numerum electorum præbatur ex Script.

180.

Ex quo colligatur prima pars Conclus.

181.

Eam docet S. Tho.

Probatio.

182.

Obiectio ex Arist.

Solutio D. Thoma.

184.
Ex quo pro-
veniat, quod
minor pars
hominum
salvetur.

Igitur disparitas inter homines & Angelos est, quod hi in via non habuerint tor & talia impedimenta, quot & qualia habent homines. Et ideo, ut habet secunda pars Conclusionis, Minor pars hominum salvatur, tamen omnes sint ordinati ad salutem, & habeant auxilia sufficientia ad salutem consequendam, ut superius diffusè probavimus. Porro maximum impedimentum est rebellio appetitus sensitivi, qui, eo quod habeat objecta delectabilia sibi præsentia, efficacius movetur, & movere ad illicita, quam ratio naturalis ad honesta: nam hæc, non nisi mediante sensuum operatione, & sub imagine sensibilibus potest pro hoc statu objecta sua attingere. Illud autem impedimentum non fuit in Angelis, ut patet. Arque adeo secunda pars Conclusul. non repugnat primæ, neque ex prima sequitur oppositum secundæ.

184.
Secunda
parti Con-
clus. favet
Script.

Favet autem secundæ parti Scriptura sacra Matth. 7. v. 13. & 14. Intrate per angustam portam; quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam. Hinc apud eundem Evangelistam c. 20. n. 16. legitur: Multi sunt vocati, pauci vero electi. Unde hæc pars Conclusionis est de fide. Etiam (inquit Smil. sup. n. 803.) experientia ipsa confirmatur: nam si mundi statum ab ejus constitutione ad hæc usque tempora consideremus, reperimus majorem hominum partem in primis non esse fidem ad salutem necessariam consecutos; ut patet sub lege naturæ & scripta, quando totus mundus, præter paucos Patres, & unicum populum Israël, colebat falsos Deos; & sub lege Evangelica quot sunt nationes, quibus lumen fidel vel non affulsit, vel ob earum peccata sublatum est, Paganismo, Mahumetismo, vel Hæresi succedente?

Confirmatur
experi-
entia.
Smilung.

185.
Ex fidelibus
pauci rectè
vivunt.

Deinde ex fidelibus quàm pauci sunt, qui rectè vivant, & in statu gratiæ ex hac vita decedant? Adeo ut meritò dicatur in Psal. 13. v. 1. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et Psal. 11. v. 1. Salvum me fac Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam diminuta sunt veritates à filiis hominum. Et v. 9. In circuitu (id est, ubique) impii ambulant. Item Eccles. c. 1. v. 15. Stultorum infinitus est numerus. Si ergo soli sunt salvandi, qui fidem, & vitam rectam servant usque in finem, ut ex aliis Scripturis notum est, & soli salvandi sunt prædestinati, sit, paucos admodum esse prædestinatos, si cum reproborum numero comparentur. Hucusque Theod.

186.
Id Script.
variis simi-
litudinibus
inducit
Primo.

Et actutum subiungit: Quod etiam Scriptura variis similitudinibus indicat. Primo, quando ait prædestinatos esse sortem consecutos, ad Ephes. c. 1. v. 11. In quo etià & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundum propositum ejus. Et ad Coloss. c. 1. v. 12. Gratiæ agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Deinde cum eos comparat racemis, post vindemiam receptis, & olivis, quæ remanserunt, reliquis excussis ex olea, Micheæ 7. v. 1. Va mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiarum &c. Et Isaia 24. v. 13. Quia hæc erunt

Secundo

in medio terra, in medio populorum: quomodo & para olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, & tementi, cum fuerit finita vindemia.

Denique (inquit Smil.) dum eos comparat vasis aureis, ad Rom. cap. 6. Sed ego hoc in cap. illam comparationem non reperio. Porro 2. Timoth. 2. v. 20. ita scriptum est: In magna domo non solum sunt vasa aurea & argentea; sed & lignea & stercilia; & quedam quidem in honorem, quedam autem in contumeliam. Ubi Aliqui per vasa aurea & argentea intelligunt electos, Alii contradicentibus. Jam autem & sortes (inquit præfatus Auctor) paucis cadunt, & racemi post vindemiam pauci; & olivæ, reliquis ex olea excussis, paucæ remanent; & paucæ sunt in domo vasa aurea, multa vero stercilia vel ærea: sic ergo paucos esse electos, multos vero reprobos, significat Scriptura. Sic ille.

Paucos, inquam, si cum multitudine reproborum, ut sup. indicavit D. Auctor, comparati renentur. Alioqui per se etiam multi sunt, ut scilicet docuit D. Aug. lib. 2. Operis imperfecti contra Julianum cap. 14. 2. ubi refert Julianum dixisse, quod Apostolus non solum non postposset culpæ gratiam; verum etiam præposset, & censens, multo in plures abundasse beneficia, quam irreplisse dispendia. Ergo videtur, quod, secundum illud dictum Apostoli, plures fuerint electi, quàm reprobi.

Respondet D. Aug. Non dixit Apostolus Paulus: Multo in plures abundasse beneficia, quàm irreplisse dispendia. Non hoc dixit; propterea fallitur, si ipse non fallis. Multo magis abundasse gratiam dixit in multos; non in magis multos, sed magis abundasse. In comparatione namque pereuntium pauci sunt qui salvantur: sine autem comparatione peritum & ipsi multi. Quemadmodum, ut idem S. Doctor ait lib. 3. contra Crescon. c. 6. 7. boni verique Christiani, qui per seipsos multi sunt, in comparatione malorum falsorumque pauci sunt. Et secundum hoc intelligendus est Christus, quando Luc. 12. vocat salvandos pusillum gregem, dicens v. 32. Nolite timere pusillus grex, qui complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Pusillus, inquam, in comparatione reproborum; quævis in se & per se magnus.

Interrogat quispiam: unde fiat, quod tam multi pereant, & à fine, ad quem ordinati sunt, deficiant; cum efficacia gratiæ sit major, quàm efficacia naturæ, & natura in paucioribus deficiat à suo ordine? Respondet Theod. sup. ex D. Thom. 1. part. q. 23. a. 7. ad 3. & 1. 2. q. 71. a. 2. ad 3. duplicem esse rationem; unam, quod illi finis sit supernaturalis & disproportionatus humanæ virtuti sibi relictæ, quæ proinde ex se magis inclinatur ad bona inferiora, illaque prosequitur, postposito illo fine; alteram, quod in homine sit connaturalis pugna inter appetitum sensitivum & rationalem, in qua pugna tantò potentior est sensitivus, quàm magis familiaris sunt homini corporalia & sensibilia; non solum quia omnis cognitio naturalis à sensibilibus incipit, & cum sensibilibus imaginatione continuatur, sed etiam, quia corporaliū & sensibilibus

usa, ad sui conservationem indiget humana natura.

191. Et quævis illa improprio ad finem supernaturali suppletur per gratiam, & ista rebellio inferioris appetitus per eandem gratiam vincitur, si efficax gratia sit; hæc tamen efficax gratia post Adæ lapsum paucis datur. Cujus ultior ratio non alia est, quam beneplacitum divinæ voluntatis, quæ ejus vult miseretur, & quem vult indurat; & ideo paucitas salvandorum in illud inscrutabile beneplacitum, ut causam radicalem referenda est cum Apost. Rom. 9. inquit præfatus Auctor. Eo autem loco v. 15. & seqq. lego sequentia verba: *Mosy enim dicit (Deus) Miserebor ejus miserebor, & misericordiam præstabo, ejus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam; ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo ejus vult miseretur, & quem vult indurat.*

Apposito ergo D. Aug. sup. Sed quare (inquit) sunt illi (reprobi) plures, quàm illi (prædestinati) consilium Dei velle nosse multorum est; nosse autem vel paucissimorum hominum, vel omnino nullorum. Et lib. de Corrept. & grat. cap. 10. in fine sic ait: *Quod ergo pauci in comparatione pereuntium, in suo vero numero liberantur multi, gratia sit, gratis sit, gratia sunt agenda, quia sit, ne quis velut de suis meritis extollatur, sed omne os obstruatur, & qui gloriatur, in Domino gloriatur.*

191. Igitur ratio à priori hujus veritatis non est alia, quàm voluntas Dei. Rationem aliquam congruentiæ invenio apud D. Aug. de Civit. lib. 21. cap. 12. ubi sic ait: *Quanto magis homo (primus) fruebatur Deo, tanto majore impietate dereliquit Deum, & factus est malo dignus aeterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse posset æternum. Hinc est universa generis humani massa damnata, quoniam qui hoc primitus admisit, cum ea, quæ in illo fuerat radicata, suâ stirpe punitus est, ut nullus ab hoc justo debitoque supplicio, nisi misericordia, & indebita gratia liberetur; atque ita disperitur genus humanum, ut in quibusdam demonstretur, quid valeat misericors gratia, in cæteris quid justa vindicta. In qua propterea multo plures, quàm in illa sunt, ut sic ostendatur, quid omnibus deberetur. Et quò (inquit idem S. Doct. Enchir. cap. 99.) etiam istos debitum judicium ducet, nisi indebita misericordia subveniat.*

194. Ast enim, dicit aliquis; cum Deus sit piissimus, & misericordia Dei superexaltet judicium, ut ait Jacobus Apostolus in sua Epist. Catholica cap. 2. v. 13. *Superexaltat autem misericordia judicium, quomodo rectè dicitur, Deum plures per judicium reprobasse, quàm per misericordiam prædestinasse?* Respondet Felix de Prædest. cap. 3. diff. 2. num. 2. hoc potius esse venerandum, quàm scrutandum, Ne scrutando de profundo eatur in profundum, ut in simili quaestione ait Scotus 1. diff. 41. q. 1. num. 13. circa finem, ubi etiam adducit illud ad Rom. 11. v. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei &c.* Ad quod (inquit Franc. Tomus II.

eis.) spectat illud D. Aug. *Noli cogitare, si non vis errare.*

Interim pro nostro capto (ut ibidem notat Felix) hujus rei reddi potest aliqua ratio. Primò; quia, cum Deus omnibus tribuat auxilia sufficientia, & non reprobet positivà voluntate, nisi post prævisa demerita, & cum voluntas humana magis prona sit ad malum; hinc est, quod ipsi homines se seducunt; unde Deum reprobare homines, non est misericordiarum defectus.

Secunda ratio est insinuat ab Aug. Epist. 106. quia prædestinatio est specialis gratia, & superabundans misericordia, nulli debita; & ita conveniens est, ut omnibus non conferatur, ut constet, quid homo habeat ex se, & ex gratia Dei: nam si pluribus conferretur, videretur debita; quod attingit Paulus ad Rom. 9. dicens, Deum reprobasse, ut ostenderet divitias gratiæ in prædestinatis. Ita præfatus Auctor. Subscribo verba Apostoli: *Quod si Deus (inquit v. 22.) volens ostendere iram & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ preparavit in gloriam. Ecce (inquit Aug. sup.) etiam ratio reddita est homini, quanta debuit homini, si tamen vel istam capiat, qui pro sui arbitrii libertate infirmitatis servitute contendit.*

Quid ergo, inquis, ad illud Jacobi sup. adductum ex adverso? Respondeo: tantum probat, quod in illo judicio, quo Deus majorem partem hominum reprobavit, intervenerit misericordia. Audite Doct. Subtilem 4. diff. 46. q. 4. n. 17. Dico (inquit ille) quod hujus conclusionis, scilicet quod in punitione est misericordia parcens, melius fundamentum habetur Jacob. 2. *Misericordia superexaltat judicium: Quia, sicut dictum est in principio solutionis, quando ad aliquod opus concurrunt plures virtutes, tanto illud est perfectius: si ergo judicium sit à justitia, & cum hoc à misericordia, tanto perfectius est; sic autem est, si insigendo aliquid, quod justitia dicitur insigendum, remittitur aliquid, ad quod misericordia inclinat remittendum; & sic judicium divinum superexaltat misericordia, pro quanto perfectius est ex misericordia, quàm esset ex sola justitia.*

Alii exponunt dicta verba, quod misericordia dicatur superexaltare, id est, excedere judicium, ed quod plus parcat, quàm puniat Deus, & quia in Dei operibus misericordia plus, quàm justitia elucet. Non dicunt Deum pluribus parcere, sed plus parcere, hoc est, propter annexam misericordiam bona opera præcipiatur supra condignum, & mala punit citra condignum. Atque hæc sufficient de secunda parte Conclusionis. Progrediamur ad tertiam, quæ non placet Theod. sup. n. 804. ubi ex jam dictis docet, etiam factâ comparatione inter ipsos homines fideles, minorem illorum partem esse salvandam. Sic (inquit ille) Gregor. Homil. 19. in Evang. Chrysost. Homil. 65. in Matth. & Homil. 40. ad populum, Aug. 3. lib. contra Crescon. cap. 66. & lib. 4. cap. 53.

195.

Due rationes ex eod. Auct. quare tam pauci salvantur. Prima.

196.

Secunda.

S. Aug.

197.

Exponitur dictum Jacobi Apost. Misericordia &c. Scotus.

198.

Alia expositio.

An minus

pars fidelium salvetur. Affirmat Smifang.

& Alii communiter in illud Matth. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

199.
Nostram
Conclusi-
onem docet
Felix, &
multipliciter
probat.

Conclusionem nostram docet Felix sup. n. 4. cum Aliis, quos citat. Probat autem ex misericordia Dei erga fideles, & ex efficacia Sacramentorum, & aliorum, quæ sunt in Ecclesia Dei, & quia multi infantes ante ulum rationis cum Baptismo decedunt. Deinde post adventum Christi per 300. annos Ecclesia Dei mirabili floruit sanctitate. Denique, quia sunt plures Ecclesiastici & Religiosi, quos terè omnes existimo salvari: & congruentia est; quia plures fuerunt Angeli prædestinati, quam reprobis; & in Collegio Christi solus unus fuit reprobus. Hæc ille de fidelibus generaliter tam parvulis, quam adultis. Nam statim subiungit: Si comparatio fiat inter solos fideles adultos, satis probabile est, plures esse reprobos, quam prædestinatos. Quod (inquit) suadet communis modus vivendi fidelium, & illud Matth. 7. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Tremenda sunt verba Chrysostomi Homil. 3. ad Populum: *Quot putatis in hac nostra civitate esse, qui salvi fient? Insestum est, quod dicturus sum, dicam: tamen non possent in tot millibus centum inveniri, qui salventur; imò de eis dubito.*

Probabile
est, inter so-
los fideles
adultos esse
plures repro-
bos.

S. Chrys.

200.

Nihilomi-
nus est val-
de dubium,
Felix.

Exponitur
illud Matth.
Multi sunt
vocati
&c.

Nihilominus (prosequitur Felix sup.) hoc est valde dubium, ut ipse Chrysostomus Homil. 65. fatetur: *Valde timeo, ait, ne major pars fidelium sit damnatorum, quam prædestinatorum.* Nam plura quæ adducuntur explicari possunt. Illud Matth. 20. *Multi sunt vocati &c.* non urget. Nam plures exponunt ly *Vocati*, de infidelibus, cum Deus illuminet omnem hominem &c. Et licet de fidelibus intelligatur cum D. Greg. Homil. 19. in Euang. tamen ly *Pauci vero electi*, non dicitur comparatione ad reprobos; sed ad omnes vocatos, ac si dicat: *Multi sunt vocati, sed non omnes electi.* Ita exposuit Damasc. Ser. de De-functis.

201.

Item istud
Matth. 3.
area.

Neque illud Matth. 3. de area, quæ est figura Ecclesiæ, in qua paleæ triticum excedunt, urget: nam per aream, secundum plures, intelliguntur omnes homines; quia ventilatio areæ est iudicium finale, quod ad omnes extenditur. Et licet solum significaret Ecclesiam, comparatio non fit in numero; sed in eo tantum, quod in Ecclesia sint prædestinati & reprobi. Quod patet, nam in aliis parabolis non fit comparatio in numero, aliis in Scriptura esset contradictio; nam in parabola de virginibus tot sunt fatuæ, quot prudentes; & in sagena congregante pisces plures sunt boni, quam mali; & ex invitatis ad nuptias, unus solus fuit exclusus. Huc usque Felix, ut ostendat incertitudinem huius rei.

202.

Sententia
Auctoris,
maximam
partem verè
fidelium esse
prædestina-
tam.

Rogat aliquis, quid ego sentiam. Respondeo: maximam partem verè fidelium scriptam esse in libro vitæ, quæ est ultima pars Conclusionis nostræ, & satis ex jam dictis à Felice, quem ego intelligo de veris fidelibus seu Christianis, id est, qui intra Ecclesiam Catholicam moriuntur: licet enim plurimi eorum sæpius mortaliter peccent; tamen sæpius etiam resurgunt, & ita cadendo & resurgendo vitam transigunt. Tan-

dem verò in fine pauci sunt, qui per Sacramenta non præparentur ad mortem, & de peccatis doleant, saltem per attritionem; hoc autem sufficit, ut in eo tempore per Sacramenta iustificentur. Et postquam iustificati fuerint, facili solent illo parvo tempore perseverare sine novo peccato mortali. Ergo (concludit Suarez de Prædestin. lib. 6. cap. 3. n. 6. in fine) penitus omnibus, verisimile est, plures ex his Christianis salvari.

Confirmatur ex memorabili facto, quod legitur in vita cuiusdam ex nostris F. Theodoricus ci à Monasterio, de quo Martyrologium Erasmo eiseanum ad diem 2. Februarii hæc habet: *Leodegarii in Brabantia B. Theodoricus à Monasterio Constantiensis, eximia sanctitatis viri, qui zelo regulari observantia, & ingenti charitate in succurrendis pauperibus exuberant, gratia mihi aculorum etiam eximium.* In ejus, inquam, vita ita scribitur: *Quam ardens autem ac fervido animarum zelo flagrans, vel unum ostendit, quod anno 1489. atrocissima pestis Bruxellis grassante, solus triginta duobus milibus Ecclesia Sacramenta ministravit; è quorum numero (nota bene) duos dumtaxat damnatos, autem quid in mortis articulo desperasset, alterum, quod peccata Sacerdoti exponere erubisset, cælesti revelatione cognovit.* Cæterum si Christianorum seu fidelium nomine velimus intelligere omnes illos, qui nomine Christi gloriantur, præfiterentur se in illum credere, cum tamen inter illos multi sint hæretici, ac apostatæ & schismatici, loquendo, inquam, in hac generalitate, probabile est majorem esse numerum reproborum. Enimvero hæretici & apostatæ semper fuerunt in magno numero, qui adjuncto numero impiorum fidelium male morientium planè excedunt numerum sanctè morientium, inquit Suarez sup.

Et hoc modo intellige omnia, ex quibus (sup. dicebat Smil.) probabiliter colliguntur Patres, facta comparatione inter homines fideles, minorem illorum partem esse salvandam intellige, inquam, de fidelibus generaliter tam veris, quam falsis. Et sic patet, tertium partem nostræ Conclusionis, si non certam, saltem probabilem esse; quam propterea amplectimur, quia magis favet misericordiae divinæ, quæ, licet supra dictum est, superexaltat iudicium; nihil est, quod efficaciter suadeat oppositum. Porro an plures Angeli sint prædestinati, quam homines, quis nobis edisseret? Quis certo determinabit, an plures ex sexu masculino, quam ex sexu femineo? Aliqui putant, tot esse homines prædestinatos, quot Angelos, & plures esse homines prædestinatos, quam demones damnatos Vide Conclus. 4.

Felix sup. n. 7. dicit. satis esse probabile, plures feminas salvari; quia (inquit) sunt magis devotæ, juxta illud Ecclesiæ: *Intercede pro devotissimis femineo sexu;* & quia viri licentiosius vivunt, & quia multi viri sine Sacramentis in bellis & in naufragiis, & in itineribus fluviorum & latronum, & in rixis decedunt, quod mulieribus non contingit. Nihilominus hoc esse dubium, docuit Scotus 2. dist. 20. 5. *Ad secundum, n. 4. dicitur*

dicens: si volumus dicere, quod æqualis est numerus salvandorum virorum, sicut & mulierum, solutum est argumentum: sed est quod non sint æquales in numero &c. Melius ad dictas quæstiones, & similes responderetur, quod sup. dixi: soli Deo cognitus est numerus electorum tam Angelo-

rùm, quàm hominum, virorum & mulierum, puerorum atque adultorum; quippe qui solus eos elegit. Et ad quid putas eos elegit? Principaliter ad gloriam seu supernam felicitatem & ad alia in ordine ad gloriam, de quibus instituitur

SECTIO QUARTA DE EFFECTIBUS PRÆDESTINATIONIS.

DE effectibus prædestinationis non idem sentiunt Scholastici Doctores: Quidam enim solam gloriam autumant esse ejus effectum; Alii solam gratiam; Quibusdam placet utramque gloriam quàm gratiam esse effectum; sed gratiam limitant ad solam justificantem; denique communis sententia est, & gloriam & gratiam quàmque, ac omnia Dei beneficia, electis specialiter præparata, quibus ipsi perveniunt in vitam æternam, esse prædestinationis effectum. Sed hanc communem sententiam, quæ & nobis apparet verior, non eodem modo defendunt Auctores, ut ex progressu patebit. Dico ego Primum:

CONCLUSIO I.

Generales effectus prædestinationis enumerat Apostolus ad Rom. 8. vocationem, justificationem & glorificationem.

Effectum prædestinationis voco quicquid ab actu prædestinationis oritur, & in tempore ponitur in prædestinato, sive oriatur à prædestinatione, ut à causa efficiente, ut Quidam docent, sive à causa finali, ut Alii volunt: nam ab utraque causa procedere potest. Ita Felix sup. cap. 5. diffie. 1. n. 1. Hinc decretum dandi gratiam, & alia dona, ad consecutionem gloriæ necessaria, etsi oriatur ex decreto dandi gloriam, & consequenter dici possit effectus prædestinationis; tamen in præsentia de tali decreto sive effectu non agimus; sed tantum de effectu, qui prædestinato confertur in tempore ex vi prædestinationis.

Ex quo patet, vocationem, justificationem, & glorificationem esse veros effectus prædestinationis, juxta illud Rom. 8. v. 29. Nam quos prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit. Ergo ex prædestinatione sequitur vocatio, justificatio, & glorificatio, atque in tempore prædestinato conferuntur. Quidni ergo sint veri effectus prædestinationis? Noli dubitare. Porro nomine glorifica-

tionis intelligitur ipsa gloriæ affectio. Nominis justificationis intellige collationem gratiæ habitualis, & donum perseverantiæ in illa. Nominis vocationis intelliguntur omnia auxilia, quibus Deus hominem excitat tam ad fidem, quàm ad justificationem, nec non ad meritorie operandum; sive talis vocatio sit efficax, sive inefficax: de hac tamen est major difficultas; ut infra patebit.

Quin etiam vocationem efficacem videtur excludere ab effectibus prædestinationis Seraphicus Doctor S. Bonavent. 1. dist. 41. a. 1. q. 1. quando in corp. dicit: In prædestinatione tria intelliguntur. Primum est propositum æternum, secundum est temporalis gratificatio. Tertium verò æterna glorificatio. Et licet per gratificationem intelligi posset (ut notat Smising sup. n. 209.) & quicquid formaliter gratificat seu justificat, & quicquid ad gratificantem seu justificantem gratiam disponit ac præparat, prout præstat vocatio; non ita tamen posse intelligi D. Bonavent. colligitur ex eo, quod eodem loco docet, hominem de congruo mereri suam prædestinationem, quoad primum ejus effectum, nempe gratificationem, ibi: Gratificatio sub merito congrui potest cadere quoad ipsum gratificandum. Hoc autem intellectum de prima vocatione est error Pelagii, & Semipelagianorum, qui tanto Doctore impingi nequit. Quare (inquit Theod.) per gratificationem intellexit collationem gratiæ justificantis formaliter, ad quam homo se disponendo cum auxilio gratiæ, eam de congruo meretur, ut Sect. sequenti, ubi de causa prædestinationis, diffusius probabitur.

Rogas: quare D. Bonavent. excludat vocationem ab effectibus prædestinationis. Respondet Smising, probationem apud D. Bonavent. non invenio, nec aliqua mihi occurrit. Et eodem modo loquitur de sententia Nominalium, quæ non solum vocationem, sed etiam justificationem excludit, & docet, solam gloriam seu vitam æternam esse prædestinationis effectum proprie loquendo. Cujus sententiæ (inquit Theod. n. 208.) nullam ipsi afferunt probationem, nec video, quod fundamentum habere possit. Quod autem tantus Auctor non vidit, fateor me etiam non videre. Illud ergo expectabimus à doctioribus.

Interim si vera est (de quo non est dubitandum) descriptio prædestinationis tradita à S. Aug.

Quid per hæc tria significetur.

An S. Bonavent. ab effectibus prædestinationis excludat vocationem.

Smising.

Nominales etiam justificationem excludunt.

6.